DE APULEIO

FABULARUM SCRIPTORE ET RHETORE

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

ÉDOUARD GOUMY

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS

IN EADEM FACULTATE JAM LICENCIATUS

PARIS

IMPRIMERIE DE P.-A. BOURDIER ET Cie

30, RUE MAZARINE

1859

DE APULEIO

FABULARUM SCRIPTORE ET RHETORE

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

ÉDOUARD GOUMY

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS

IN EADEM FACULTATE JAM LICENCIATUS

PARIS

IMPRIMERIE DE P.-A. BOURDIER ET Cie

30, RUE MAZARINE

1859

ORNATISSIMIS ET HONORATISSIMIS VIRIS

A. BERGER,

IN FACULTATE LITTERARUM PARISIENSI,
ET IN SCHOLA NORMALI,
LITTERARUM LATINARUM PROFESSORI,

ET

HECTOR LEMAIRE,

IN LYCÆO CAROLI MAGNI RHETORICÆ PROFESSORI,

Opusculum hoc dedicatum voluit
Discipulus memor

E. G.

DE APULEIO

FABULARUM SCRIPTORE ET RHETORE

I. — DE HUJUS OPUSCULI RATIONE.

Duplex mihi in hoc opusculo propositum fuit.

Primo, de genere hoc litterarum quod *oblectatorium* dixerim, apud Romanos inquirere in animo habui, specimine usus *Metamorphoseon* libro.

Deinde, libri hujus auctorem expendere, eumque, qualis fuerit interrogare, per *Florida* et *Apologiam* respondentem.

Duo ergo quæsita sunt : qualis liber fuerit et qualis auctor. Utinam bona avi !

II. — DE METAMORPHOSEON NIMIA VARIETATE.

Hoc primum Metamorphoses legenti in mentem occurrit, quam varius sit liber et discolor, quamque multiplici contextu et mutabili tenore. Sexdecim fabellæ, sine ullo inter se nexu, præcipuæ fabulæ intermistæ sunt : hæc tragicum sonat; illa comicum crepat; alia hæc plus quam comicum, alia illa plus quam tragicum; læta, horrenda; lepida, turpia; ingeniosa, absurda, miscentur; sexcentæ personæ festinant, quæ fere, ubi apparuerunt, evanescunt; festinant et casus, alius alium excipiens, sine ordine causaque; inter quæ Lucium, in quo præcipua fabula versatur, ægre sequimur, donec tota hæc farrago in religiosissimum subito eventum desinat. Ne magia quidem communi quodam uno-

que vinculo tot partes inter se discrepantes, tot undique collata membra, revincit, quoniam quæ incepit, non ipsa perficit, et amissam magicis artibus humanam speciem, non iisdem artibus, sed divinæ providentiæ miraculo Lucius recuperat. Omnino excidisse mente Apuleii videntur sapientissima illa ad Pisones :

> Qui variare cupit rem prodigialiter unam
> Delphinum sylvis adpingit, fluctibus aprum.
> . . . .
> Denique sit quodvis simplex duntaxat et unum.

Est tamen aliquid unum in toto libri tenore, dicendi scilicet genus, sed eo unum, quod nunquam simplex, at ubique ornatissimum, floridissimum, « cinnama fragrans et balsama rorans[1], » sed ea cinnama balsamaque quæ ex rhetoris officina depromuntur, ea denique elegantia turgidum, quæ et unoquoque verbo rhetorem arguit, et interdum barbarum subolet. Hoc unum est quod in Apuleii fabula *unum* vere esse dixerim.

III. — DE PERSONIS.

Hoc deinde lector animadvertat necesse est, quemadmodum unitate, ita personis fabulam carere. Personas autem dico, de quibus Horatius :

> Difficile est proprie communia dicere,

hoc est personas fingere quæ vitam suam, et veram, a poeta datam, vivant. Non personas formavit qui nomina protulit, et ad nomina hæc, acta quædam, vero plus minusve

[1] I, 108. — Notæ omnes ad excellentissimam Oudendorpii et Bosschæ editionem spectant. 3 vol. in-4°, Lugd. Batavorum, 1786-1823.
Numerus prior volumen indicat; posterior paginam. Quod ad Florida attinet, capitulum modo indicavimus.

similia, retulit. Abundat istiusmodi personis Apuleii fabula, quæ, ante oculos nostros, magno concursu trepidant et prætereunt; sed illæ, etsi plerumque moriantur (occisor est enim fere omnium suorum Apuleius), non ideo vixerunt; mera nomina sunt, simulacra luce carentia, νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα. Poetam poscimus, habemus rhetorem.

Duæ modo ex omnibus excipiendæ sunt, utpote quæ vere vivunt; Psyche, maximum forsan totius libri decus, et Lucius, qui fabulæ pars multo maxima idemque narrator exsistit.

Psyche, quam duo nostri poetæ tanquam nostram fecerunt, amoris imaginem præstat simplicis, ingenui, veri. Simplex dicitur et animi tenella, et est quidem; ad hoc, curiosa, levis, præceps, impotentiæ muliebris non expers; sed quam semper et ubique amabilis; quam constans in amore; quam, amoris causa, fortis! Hujus quidem non auctor Apuleius; sed grates illi agendæ sunt quod traditam antiquitus imaginem non deformavit; omnis erga divam puellam peccati expers, nisi illam interdum nimis composite loqui coegisset.

Lucius egregie ad placendum conformatus est; et hoc primum quod unus e multis est, id est unus e nobis, ingenio, indole, virtutibus, vitiis, mediocris. Qui autem mediocres, hoc est in medio et virtutum et vitiorum sunt, horum multo major quam ceterorum numerus. Non indoctus, imo litteratus, ad hoc satis ingeniosus, ne a se quidem deridendo, ubi res ita fert, abstinens; urbanus, verecundus, probitatis, vel quum infelicissimus est, rigide tenax; ad hæc vitia proclivis, quibus facilius ignoscimus, libidinosus, nullius non ignotæ rei curiosissimus (utpote cui fons est malorum omnium curiositas), maxime omnium confidens, præceps credulusque; Deorum denique nunquam immemor et post infortunia sua, observantissimus. Non paucis talis effigies ob sui ipsorum similitudinem placere debet.

Ceteræ vix adumbratæ, lepide quædam, aliquot fortiter, levius omnes; nulla summa illa pictoris diligentia exacta.

Ne ipsam quidem Chariten excipiam, quæ, mira mutatione, e tenella puella implacabilis Camma fit. Et illa tamen propius quam ceteræ ad veræ personæ laudem accedit.

Verum hæ graciles et tenues umbræ, etsi non vivant, partes tamen aliquas agendas a conditore suo Apuleio acceperunt. Quas autem partes ?

Duplex video hominum genus longe maximum in hac fabularum farragine locum obtinere : stultorum scilicet et sceleratorum, vel ubi materia sceleri deest, veteratorum. Incredibile est quantam vim ineptiarum et scelerum in his undecim libris suis Apuleius congesserit; quot fraudes, quot cædes. Si quatuor aut quinque exceperim, frustra in tanto numero honestum unum hominem et probum sine stultitia, quæram. Longe omnium optimi, adulteri, quorum fraudes, præ ceterorum facinoribus, videri possunt honestissimæ. Quod si litteræ, præsertimque ejusmodi fabulæ, veram morum imaginem præstare solent, quam turpe fuit exemplar a quo talis imago ducta est ! Certe affirmare possumus Apuleium iis lectoribus maxime scripsisse qui nulla re æque gauderent ac magicis ineptiis et creberrimis cædibus. Africanos ne illos dicemus, an Romanos? Barbaros profecto et vere barbaros, qui oblectatorias fabulas cædibus, tanquam amphitheatra, compleri volebant, et quibus risus, non nisi cum cruore multo, placebat.

IV. — QUID COMICUM.

In libro qui unice ad delectandum scriptus videtur, comica esse permulta debuerunt, et fuerunt. Haud scio an omnium maxima sit laus illa Apuleio. Discernenda tamen inter hæc omnia quæ comica haberi possunt, bona, mediocria, pessima. Ut (Horatii quidem judicio) Lucilius, sic et Apuleius semper fluit lutulentus. Lutum autem hic abundat.

Et primum, quid magis veriusque comicum quam prima Lucii metamorphosis? Præceps et simplex adolescens, unguento magico delibutus, plumas et alas cupide exspectat : o fallacem hominum spem! En pilos et corium et ungulas et prolixas aures induit! Quid? stupore et dolore non suffocabitur misellus? Imo, fatis suis (et quam variis!) reservabitur, homo intus, foras bestia. Sub hac hirsuta pelle et forma quadrupedi et prægrandi naso latebit homo frugi nec inficetus et satis litteratus; habitabit (proh Deos Deasque omnes!) animus immortalis! Quot et qualia inde secutura sint facile est augurari. Veram comœdiam aget infelix Lucius, ad tanta genitus homo, ad tam turpia coactus asinus. Frustra in carcere suo luctabitur indignans animus, et vincula recusabit : ire oportebit quo pedes asinini ferent, vesci quod venter asininus capiet, vapulare quod dorsum asininum tolerabit. Quicumque homines oderunt, iis fabulam hanc haud displicere æstimo; huic certe placere debuit qui Gulliveri casus narravit. Magnum gaudium μισανθρώπῳ unum ex hoc pusillo superboque genere in asinina pelle captivum contemplari!

Libet infelicem Lucium per tot casus vicesque aliquantisper sequi. Vix stabulum, novum domicilium suum, ingressus, omnibus ærumnis conflictari cœpit. Suus eum equus calcibus petit, et ab hordeo procul abigit quod ipse gratissimo famulo suis manibus apposuerat; suus eum servus fuste tundit, et continuo arreptum latrones gravissimis sarcinis onerant. Cum quibus per vicum frequentem iter faciens, tentat genuino sermone nomen augustum Cæsaris invocare. Quid inde? O tantum disertum et validum clamitat : reliquum nomen miser enuntiare non potest, et ob absonum clamorem vapulat. Ecce (o cruciatum Tantalico pejorem!) rosas quibus in humanam formam restitui potest, adspicit, et abstinere eis cogitur, ne derepente factus homo, a latronibus trucidetur. Postea jamjam sibi mortem, præ desperatione, rosis laureis comparaturus, novo fustium interventu deterretur, et ut Scyllam fugiat in Charybdim

incurrens, a canibus pæne usque ad extremum suspirium dilaceratur. Jam in eo tandem est ut optata morte fruatur, quum sperat se lupis et vulturiis prædam relictum iri : mutat mentem, ubi infelicem commilitonem suum vidit, poplitibus amputatis, in abrupta præcipitari, et se novis miseriis reservat.

Quid multa? Legendæ sunt jocosæ narratiunculæ, quæ asinum exhibent litteratum, philosophantem, bonæ frugi, feminei sexus (etsi sequioris) amatorem, impudicarum mulierum proditorem honestissimun, gulæ aliquantulum inservientem, per omnes ærumnas, irritis tot egregiis et plus quam asininis dotibus, jactatum, donec pietate sua erga summatem Deam et devotissimis precibus in priscæ formæ honorem restituatur. Comicus in his omnibus lepos abundat, seu quum feminei sexus levitatem acriter carpit, seu quum liberatione sua et triumpho superbit[1], sive etiam quum spurcissimo erraticorum sacerdotum gregi indignans[2], exclamare tentat : Porro, quirites! Quid? quum Pistori adulterum conjugis prodit[3], aut quum apud dulciarios, crustulis eo usque saginatur, ut et ipse nobilis fiat, et nobilem dominum faciat[4]?

Hæc omnia in toto libro maxime comica et jucundissima commenta sunt. Sed neque omnes Lucii casibus immixtæ fabellæ omnino his leporibus carent. Ut quædam ex his meræ tragædiæ, sic quædam meræ comœdiæ; in aliis vero, mixta tragædiæ comœdia. De *Psyche* alias dicemus. De ceteris perpauca dicenda sunt, quoniam antiquam libertatem, imo protervitatem, nimis arguunt. Quasdam ex iis Boccacius et Fontanius, ambo non paganorum æmuli, sed vere et ipsi pagani, jure sibi reposcere potuerunt. Non modo *Dolium*[5], sed et *Philesieterus*, et *Pistor*, et *Fullo*[6] nos Boccacii Fontaniique admonent. Ambo nonum hunc Metamorphoseon librum debuerunt diligere : quamquam et ambo africanum

[1] Tom. I, p. 469, 470. — [2] *Id.*, p. 587. — [3] *Id.*, p. 645. — [4] *Id.*, p. 703. — [5] *Id*, p. 599-605. — [6] *Id.*, p. 623-648.

narratorem narrandi venustate longe superaverunt. Languet enim interdum et friget noster, vel quum maxime lectores suos non ita honeste hilarare cupit.

Pæne salva tamen esset Apuleii memoria si non amplius peccasset. Solemne est antiquis fere omnibus nec se nec lectores suos magnopere interdum revereri. Recentiorum est propria laus et peculiaris in scribendo pudicitia. Sed quo vocabulo quædam Apuleii commenta appellem? Ipsa impudicitia prope casta fit, cum talibus collata. Vetus proverbium nos docet vicina esse quæ extrema sunt : sic in idem sæpius conveniunt, apud Apuleium, et tragicum et comicum : in sordidissimum scilicet et spurcissimum. Væ scriptori qui neque judicio adhibito neque pudore, legentes nunc terrore, nunc cachinnis sperat se concussurum : utrobique nauseam movebit.

V. — QUID TRAGICUM.

« Interdum tamen et vocem comœdia tollit, » aut potius, quod semel lectorem suum monitum voluit Apuleius, plus quam semel monere potuisset : « Jam, lector optime, scito te *tragœdiam*, non fabulam, legere, et a socco ad cothurnum ascendere[1]. » Etenim, ne quid libro suo deesse videretur quod ad commovendos in quamcumque partem animos valeret, nonnullas tragœdias comicæ fabulæ tenori interposuit, atque etiam nonnihil tragici quibusdam comicis narratiunculis immiscuit.

Quæ quidem licentia Apuleio dabatur, « sumpta pudenter » et cum judicio. Atqui tragœdiam quomodo omnino arceas, si magiam admittas? Et cur fabularum scriptori non liceret, postquam lectorem suum hilaravit, eum in misericordiam aut terrorem artibus suis compellere? Sit et ipse

[1] Tom. I, p. 679.

magus, si potest. Modo duas res sacro sanctas, modum scilicet et judicium, reverentissime servaverit, plaudemus et quacumque voluerit, sequemur. Harum autem rerum reverentiam non ita magnam in Apuleio reperimus.

Omnium quæ Metamorphoseon libro insunt tragœdiarum optima profecto est illa de Thrasyllo et Charite [1], quæ haud absimilis est illi apud Plutarchum inclytæ de Camma et Sinato. In hac nihil inverecundum, nihil turpe, nihil non Melpomene dignum. Ipsa verba quibus sopitum Thrasyllum et jamjam moriturum Charite, ultionis suæ compos, alloquitur, magni poetæ tragicum opus, paululum emendata, non dedecorarent. Hoc præcipue tragœdia illa valet quod personam ostendit quæ maxime laudabili affectu in pœnam scelestissimi hominis impellitur. Minus hæc alia mihi placet qua tres fratres a divite quodam homine et factioso et violento crudelissime necati esse narrantur [2]. Multum quidem huic narratiunculæ vigoris inest : haud scio an nimium. Non jam enim terrorem animis admiratione mixtum, sed merum horrorem injicit, et, præ horrore, fastidium. Quis ferre queat hominem gratuito feris canibus feriorem? Talibus monstris non fabulæ, sed amphitheatra, patent ; et quamquam

..... Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas,

nulli unquam poetæ licuit tigridis animum humano corpori infundere. Hoc tantum conspicua est ista fabella quod aliquid de Medii Ævi moribus redolet. « Casulæ parvulæ conterminos magnos et beatos agros possidebat vicinus potens, et dives, et juvenis, et prosapiæ majorum gloria male utens, pollensque factionibus et cuncta facile faciens in civitate. Hostili modo vicini tenuis incursabat pauperiem, pecua trucidando, boves abigendo, fruges adhuc immaturas obterendo. Jamque tota frugalitate spoliatum, ipsis etiam

[1] Tom. I, p. 505-516. [2] *Id*, 658-665.

glebulis exterminare gestiebat : finiumque inani commota quæstione, terram totam sibi vindicabat[1]. » Nonne vere aliquam de Medio Ævo fabellam incipi crederes? Multa et huic tragica insunt quæ de novercæ, privignum amantis, sceleribus narrantur[2]: quamquam et hæc magis forsitan ad id quod proprie *drama* nuncupamus quam ad veram tragœdiam referri debet; sed quid de novissima hac[3] dicam tot horrendis incredibilibusque veneficiis referta ? Haud indigna quidem res est famosis quibusdam et recens editis fabulis quorum nomen proferre, si non pudor, certe operis lex, vetat; sed quid hæc ad nos? aut ad veritatem? aut ad similitudinem veri? Num tragicum esse dixerim quod vix humanum? Necesse est talia ad ignotum veteribus criticis genus referantur, quod *horribile* dicere æquum est.

Eo usque delabantur oportet qui, dum terrorem quærunt, neque modum servare norunt, neque judicium adhibere. Scio equidem multa, ubi magia interest, extra solitum permitti debere; non tamen ut similia iis fingantur quæ latro de pœna Charites et Lucii, postquam effugere tentaverunt, censet. De his facile est judicare. « Hunc (asinum), ait latro, jugulare crastino placeat, totisque vacuefacto præcordiis, per mediam alvum virginem, quam prætulit nobis, insuere : ut sola facie prominente, ceterum corpus puellæ nexu ferino coerceat; tunc super aliquod saxum scruposum, insuticium et fartilem asinum exponere, et solis ardentis vaporibus tradere. Sic enim cuncta, quæ recte statuistis, ambo sustinebunt : et mortem asinus, quam pridem meruit; et illa morsus ferarum, quum vermes membra laniabunt; et ignis flagrantiam, quum sol nimiis caloribus inflammarit uterum; et patibuli cruciatum, quum canes et vultures intima protrahent viscera. Sed et ceteras ejus ærumnas et tormenta numerate. Mortuæ bestiæ ipsa vivens ventrem habitabit; tum fetore nimio nares æstuabit : inediæ diutinæ letali fame tabescet, nec suis saltem liberis

[1] Tom. I, p. 558, 659. — [2] *Id.*, p. 679-700. — [3] *Id.*, p. 722-733.

manibus mortem sibi fabricare poterit[1]. » Non pulchrum commentum est? Non lepide explicatum? Quam libenter auctor in eo immoratur et se admiratur et sibi placet! Sic τραγωδοποιὸσ Apuleius.

Verum est etiam pejus aliquid. Jam contra judicium et communem sensum gravissime peccat qui lectoribus suis et horrorem et nauseam, his artibus, injicit. Quid si quod turpe est ridiculo, quod scurrile horrendo miscuerit? Dices forsan magiam et scurrilem una et horrendam esse. Sit magia quod libuerit : ejusmodi permistionem, sive in versibus, sive in prosa, ut a sensu communi et judicio æque alienam, aversabor. Hujus autem (ut omittam cetera) duo conspicua specimina offerunt, quas Aristomenes[2] et Telephron[3] narrant, fabellæ; in quibus sic intermixta sunt horrendo ridiculum et turpe scurrili ut credas Apuleium secundum novas illas leges poeticas, quæ in nobilissima Præfatione ad Cromwellum promulgatæ sunt, librum suum conscribere voluisse.

VI. — QUID RHETORICUM.

Plane supervacuum primo videtur quid sit rhetoricum in rhetoris opere quærere; rectius videretur quærere quid non rhetoricum. Rhetorica enim ita sese toti fabulæ immiscuit ut nullam fere partem intactam et incontaminatam reliquerit. Non tantum orationes, sed narratiunculæ, descriptiones, tragica, comica, omnia denique prorsus, declamationes et auditorium redolent. Non personæ, pro se quæque, secundum conditionem suam, ut decet et æquum est, verba faciunt; sed per omnes illas semper idem rhetor Apuleius, idem verborum artifex, declamat. Etiamsi (quod et affirmare et negare æque arduum est) in toto operis

[1] Tom. I, p. 144-145. — [2] *Id.*, p. 25 et sqq. — [3] *Id.*, 145-146.

tenore, Apuleius nihil, nisi translator, foret, hanc certe propriam et peculiarem ingenii sui notam ita toti libro impressit ut, quod alienum est, prope, ea ratione, suum fecerit.

Non semper et ubique rhetorica peccat. Quin et egregie officium suum præstabit, si, quo tempore et loco decet, verba fecerit. Metamorphoses unum nobis et alterum exemplum præbent collocatæ opportune rhetoricæ. Quum Charite diu meditata ultione jamjam fruitura, ad Thrasyllum sopitum accedit, locus est hic orationi aut potius imprecationi; neque scriptori tunc inutile est sese declamando exercuisse. « En, inquit Charite [1], fidus conjugis mei comes, en venator egregius, en carus maritus ! Hæc est illa dextera quæ meum sanguinem fudit; hoc pectus, quod fraudulentas ambages in meum concinnavit exitium; oculi isti quibus male placui; qui, quodammodo tamen jam futuras tenebras auspicantes, venientes pœnas antecedunt. Quiesce securus, beate somniare. Non ego gladio, non ferro petam. Absit ut velim simili mortis genere cum marito meo coæqueris. Vivo tibi morientur oculi, nec quidquam videbis, nisi dormiens. Faxo feliciorem necem inimici tui quam vitam tuam sentias. Lumen certe non videbis; manu comitis indigebis; Charitem non tenebis; nuptias non frueris; nec mortis quiete recreaberis, nec vitæ voluptate lætaberis, sed incertum simulacrum errabis inter Orcum et solem; et diu quæres dexteram quæ tuas expugnavit pupulas; quodque est in ærumna miserrimum, nescies de quo queraris. At ego sepulchrum mei Tlepolemi tuo luminum cruore libabo, et sanctis manibus ejus istis oculis parentabo. Sed quid mora temporis dignum cruciatum lucraris? Relictis somnolentis tenebris ad aliam pœnalem evigila caliginem. Attolle vacuam faciem, vindictam recognosce; infortunium intellige; ærumnas computa; sic pudicæ mulieri tui placuere oculi, sic faces nuptiales tuos illuminarunt thalamos.

[1] Tom. I, p, 539.

Ultrices habebis pronubas, et orbitatem comitem, et perpetuæ conscientiæ stimulum. » Quamvis longiuscula forsan sit oratio et oleum nimis redoleat, confitendum tamen est Apuleium hic et illic in ea summum eloquentiæ tragicæ culmen tetigisse. Neque alia hæc oratio minus conspicua est, qua noverca privigno amorem suum aperit. Videtur in ea Apuleius inclytam illam Phedræ coram Hippolyto confessionem Racinio nostro tanquam indicavisse. Juvenis nihil etiam tunc sequius suspicatus, submisso vultu rogat ultro præsentis causas ægritudinis. Tunc illa (noverca) nacta solitudinis damnosam occasionem, prorumpit in audaciam; et ubertim adlacrymans, laciniaque contegens faciem, voce trepida sic eum breviter affatur : « Causa omnis et origo præsentis doloris, et etiam medela ipsa, et salus unica, mihi tute ipse es. Isti enim tui oculi per meos oculos ad intima delapsi præcordia, meis medullis acerrimum commovent incendium. Ergo miserere tua causa pereuntis. Nec te religio patris omnino deterreat : cui morituram prorsus servabis uxorem. Illius enim recognoscens imaginem in tua facie, merito te diligo. Habes solitudinis plenam fiduciam, habes capax necessarii facinoris otium. Nam quod nemo novit, pæne non fit [1]. »

Hæc sunt rhetoricæ præmia, sed quam rara ! Pessima ista magistra, cum tota progenie sua et supellectile, cum salibus leporibusque, totam, ut diximus, fabulam infestavit. Qui sales ! qui lepores ! Illius culpa est, si vix una in toto libro phrasis simplex sit et candida et naturalis ; si permultæ locutiones huic simillimæ occurrant : « Simplicitatem relationis meæ tenacitate taciturnitatis tuæ remunerare, » aut illi, quæ vix intelligi potest : « Communi numinis piamento vicariæ venerationis incertum sustinebo [2]; » per illam fit ut pagina hæc deminutivis, illa vero barbarismis pullulet; ut tædæ nuptiales lacrymis extinguantur [3]; ut Psyche ad suos dicat : « Quid laceratis in vestris oculis mea lu-

[1] Tom. I, p. 684, 687. — [2] *Id.*, p. 303. — [3] *Id.*, p. 315.

mina[1]?» et Cupido rursus ad Psychen : «Dies ultima et casus extremus et sexus infestus et sanguis inimicus jam sumsit arma et castra commovit et aciem direxit et classicum personavit[2];» illa est quæ talia latronibus, anum alloquentibus, dictat : «Etiamne tu, busti cadaver extremum, et vitæ dedecus primum, et Orci fastidium solum[3]; » quæ philosophicas sententias servos expromere, et captivam puellam Athracidis et Protesilai doctius quam opportunius meminisse jubet[4]. Quid multa ?

Cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem
Delassare valent Fabium.....

Nullus demum in tota fabula angulus est, ut ita dicam, in quo non appareat Apuleius ipse, se totum, vocem, gestum, habitum, vestem, instar Telephronis narratiunculam suam incipientis, ante ora audientium, doctissime componens. Horatius ait Homerum interdum dormitare. Utinam et noster interdum, in his suis artibus, dormitaret!

VII. — QUID, SIVE IN AFFECTIBUS, SIVE IN MORIBUS DEPINGENDIS VERUM.

Pauca sunt sane, imo paucissima. Quid enim veritati cum magia? In magia autem pæne tota fabula posita est. Ubi legentium voluptas e talibus præsertim artibus petitur, minimum loci seriæ veræque affectuum et morum observationi descriptionique restat : hoc autem est quod *philosophicum* in tali opere vocaverim. Ut aliquid ejusmodi in fabula insit, non tantum delectare velit scriptor oportet, sed *delectare monendo;* atque ut monendo delectet, necesse est illum Horatii præcepto parere, quum dicit :

Respicere exemplar vitæ morumque jubebo
Doctum imitatorem et veras hinc ducere voces.

[1] Tom. I, p. 314. — [2] *Id.*, p. 344. — [3] *Id.*, p. 250. — [4] *Id.*, p. 295.

Quæ omnia parum, imo minime curat Apuleius. Ut qui tantum lectores suos delectare, idque quoquo modo, in animo habet, non exemplar vitæ morumque respicit, sed, Fontanii instar Psychen suam scribentis, studia hominum, quo inclinent, considerat, et ubi ea ad magiam et ineptias hoc genus inclinare vidit, plenam magiæ et ineptiarum fabulam conscribit. Alio eat qui sibi aliquid documenti quærit.

Aliqua tamen ex toto libro sub hoc capite cogi possunt quæ Apuleium et affectuum et morum scientia, certe non eminuisse, sed et non omnino caruisse significant. Quæ autem ad affectus pertinent, ea fere omnia ad amorem spectant; adeo ejus studium novissime homines exuunt!

Accuratissimum lepidumque capitis et capillorum encomium scripsit his verbis Apuleius :

« Quid ego de ceteris aio? quum mihi semper unica cura fuerit caput capillumque sedule et publice prius intueri et domi postea perfrui; sitque judicii hujus apud me certa et statuta ratio, vel quod præcipua pars ista corporis, in aperto et perspicuo posita, prima nostris luminibus occurrit; et quod in ceteris membris floridæ vestis hilaris color, hoc in capite nitor nativus operatur... Si (quod nefas dicere, neque sit ullum hujus rei tam dirum exemplum) cujuslibet eximiæ pulcherrimæque feminæ caput capillo exspoliaveris, et faciem nativa specie nudaveris, licet illa cœlo dejecta, mari edita, fluctibus educata, licet, inquam, Venus ipsa fuerit, licet omni Gratiarum choro stipata, et toto Cupidinum populo comitata, et baltheo suo cincta, cinnama fragrans et balsama rorans, calva processerit, placere non poterit Vulcano suo. »

« Quid? quum capillis color gratus, et nitor splendidus illucet, et contra solis aciem vegetus fulgurat, vel placidus renidet, ac in contrariam gratiam variat adspectum? Et nunc ut aurum coruscans in levem mellis deprimitur umbram, nunc corvina nigredine cœrulos columbarum colli flosculos æmulatur; vel quum guttis arabicis obunctus, et pectinis arguti dente tenui discriminatus, et pone versum

coactus amatoribus oculis occurrens, ad instar speculi, reddit imaginem gratiorem? Quid? quum frequenti sobole spissus cumulat verticem, vel prolixa serie porrectus dorsa permanat? Tanta denique est capillamenti dignitas, ut, quamvis auro, veste, gemmis, omnique cetero mundo exornata mulier incedat, tamen, nisi capillum distinxerit, ornata non possit audire [1]. »

Hæc philosophica? Pigeret quidem cognominis, sed sub quo alio capite ponenda? Vera sunt certe, et satis subtiliter fideliterque expressa. Quæ in tali libro vera sunt, etiam minima, tollenda æstimamus, quia non multa. Hæc autem hominibus elegantiarum amorumque doctissimis pergrata esse debuerunt, et Apuleium haud imparem Amatoriæ arti scribendæ testantur exstitisse.

Alia illum in amore effingendo satis callere potuisse significant. Sic Psychen depingit «jam tum, ut ipse ait, facinori suo manus admoventem [2]; » « adhuc incerta consilii titubat, multisque calamitatis suæ distrahitur affectibus; festinat, differt; audet, trepidat; diffidit, irascitur; et, quod est ultimum, in eodem corpore odit serpentem bestiam, diligit maritum. » Næ, ille intimum, ut ita dicam, affectus hujus habitum introspexerat, qui tam diligentem fidelemque picturam animi, quo hic affectus potitus erat, effingere valeret. Sed quod multo magis huic exemplo præstat, e fabella socrus privignum amantis exceptum accipite : « Mulier illa, quamdiu primis elementis Cupido parvulus nutriebatur, imbecillis adhuc ejus viribus, facile ruborem tenuem deprimens, silentio resistebat. At ubi completis igne vesano totis præcordiis, immodice bacchatus amor exæstuabat, sævienti Deo jam succubuit; ac languore simulato, vulnus animi mentitur in corporis valetudine. Jam cetera salutis vultusque detrimenta et ægris et amantibus examussim convenire nemo est qui nesciat. Pallor deformis, marcentes oculi, lassa genua, quies turbida, et suspiritus cruciatus tarditate vehementior.

[1] Tom. I, p. 106-111. — [2] *Id.*, p. 358, 359.

Crederes et illam fluctuare tantum vaporibus febrium : nisi quod et flebat. Heu ! medicorum ignaræ mentes ! Quid venæ pulsus, quid caloris intemperantia, quid fatigatus anhelitus, et utrimque secus jactatæ crebriter laterum mutuæ vicissitudines? Dii boni ! quam facilis, licet non artifici medico, cuivis tamen docto Venereæ cupidinis, comprehensio, quum videas aliquam sine corporis calore flagrantem[1] ! » Nonne libido illa penitissime et subtilissime introspecta, necnon verissime adumbrata est?

Inter ea quæ ad ætatis Apuleii mores proprie spectant, et quamdam nobis temporum imaginem exhibent, magia sane et Isiaca mysteria præcipuum locum obtinent, ut vel mendaciis istis et anilibus ineptiis pars aliquantula sit veritatis : haud dubio, rebus ipsis homines valde studuerint oportuit, quum sola earum imagine tantopere caperentur. Sed de his alias. Silentio præteribo vias lupis et latronibus infestas : quippe quod non uni ætati regionique proprium sit. Ad alia venio magis peculiaria, quæ tanquam signa temporum esse vere dixerim.

Nonne ætatem fideliter repræsentat agmen hoc erraticum Deæ Syriæ sacerdotum ? Impurissimi et sordidissimi homines « per plateas et oppida cymbalis et crotalis personantes, deamque circumferentes, mendicare compellunt[2]. » « Variis coloribus indusiati, et deformiter formati, faciem cœnoso figmento deliti, et oculis obunctis graphice, prodeunt; mitellis, et crocotis, et carbasinis et bombycinis injecti... Brachiis suis humero tenus renudatis attollentes immanes gladios ac secures, evantes exsiliunt, incitante tibiæ cantu lymphaticum tripudium... Unus ex illis bacchatur effusius, ac de imis præcordiis anhelitus crebros referens, velut nimium divino spiritu repletus, simulabat sauciam vecordiam. Infit vaticinatione clamosa conficto mendacio semetipsum incessere atque criminari, quasi contra fas sanctæ religionis designasset aliquid, et insuper justas pœnas noxii

[1] Tom. I, 679-682. — [2] *Id.*, 518 et suiv.

facinoris ipse de se suis manibus exposcere. Arrepto denique flagro, quod semiviris illis proprium gestamen est, contortis tæniis lanosi velleris prolixe fimbriatum, et multijugis talis ovium tessellatum, indidem sese multinodis commulcat ictibus : mira contra plagarum dolores præsumptione munitus. » Iidem a divitibus et deorum reverentibus civibus benignissime excipiuntur, munificentia publica saginantur, reddunt oracula (quam quidem artem Apuleius percallere videtur), denique vasa aliquot furati, ducuntur in carcerem, non sine armatorum equitum a quibus capiuntur, impudenti derisione. Eximium sane hominum genus, in quo aliquid et de mendicantibus monachis, et de circulatoribus, et de furibus, commixtum videtur.

Alias pistoris cujusdam uxor, omnibus vitiis inquinata depingitur, atque insuper « spretis atque calcatis divinis numinibus, in vicem certæ religionis, mentita sacrilega præsumptione Dei, *quem prædicaret unicum*, confictis observationibus vacuis fallens omnes homines et miserum maritum decipiens[1]. » Nonne christianam feminam Apuleius in animo habuit depingere?

Denique, quod vere Romanum est et imperatorium, lascivientem militem, protervum erga victos et contumeliosum et crudelem videmus. Vapulat hortulanus pauper, quia latine a milite interrogatus et latine nesciens, tacitus præterit. Nec vapulat tantum, sed ex asino suo proturbatur, quem sibi miles reposcit : « Mihi, inquit, operæ ejus opus est. Et injecta statim manu loro arreptum cœpit trahere[2]. » Et, quia hortulanus, contumeliis ictibusque lacessitus, seque et sua contra militem defendere ausus est, timet miser ne sibi capitale sit. Regnabat quidem Cæsar, sed imperabant legiones, et multo ante Apuleium vulgatum fuerat imperii et licentiæ arcanum.

[1] Tom. I, p. 620. — [2] *Id.*, p. 668.

VIII. — DE DESCRIPTIONIBUS.

Nihil prorsus magis descriptionibus accommodatum est quam hujusmodi fabula quæ per tot loca et vices lectorem circumducit; imo etiam nihil magis hujusmodi fabulæ necessarium quam crebræ descriptiones; vicem pictoris agat scriptor persæpe oportet, ea tamen conditione ut artis suæ terminos non excedat.

Descriptionum igitur in Apuleio abunde est, quum non modo operis lex ita ferret, sed et auctoris ingenium huc inclinaret. Multo enim facilius est tale decus fabulæ addere quam personas vita hac, cujus maximi poetæ largitores sunt, donare. Plane apparet Apuleium in describendo, non lectori modo sed et sibi placere voluisse, tanto amore et studio partem hanc operis sui tractavit. Nulla etenim alia patentiorem et opportuniorem illi campum præbebat, ad periclitandum, ut ipse ait, ingenium et explicandam solertiam. Unde toti fabulæ non mediocre decus accessit.

Præcipuæ sunt Apuleio in describendo virtutes tres, lepos, vigor et cura, ita ut tanquam tria descriptionum genera in ejus opere distingui possunt; eæ scilicet in quibus maxime lepos inest aut venustas; quarum exemplum præbebit, in tertio libro, Lucius grabatulo insidens, et hesternum facinus suum deflens, aut idem in asinum mutatus; illæ in quibus vigor, qualis, in quarto libro, convivantium latronum; aliæ denique, in quibus cura, quales, in omnibus libris, permultæ, ita ut quam potissimum indicemus, hæreamus. Ab una tamen de omnibus judicare poterit, qui domus Byrrhenæ descriptionem, in secundo libro, perlegerit : in qua sic accurate cuncta, vel minutissima depinguntur ut locum hunc ex aliquo recentissimorum hoc genus auctorum translatum esse crederes. Nihil sane amplius Scottius aut Balzacius ipse desiderarent. Neque tamen hæc, etsi forsitan longiuscula, omnino ex re sunt ; erat enim his locus. Utinam semper et ubique ita foret !

Hic enim unum inter præcipua Apuleii vitia attigimus. Qui in describendo ingenii famam quærit, describat necesse est, non quia et quando res ita postulabit, sed tantummodo ad describendum : ibi autem *nimietatis* (ut Apuleii verbo utar) periculum occurrit. Non enim tantummodo culpæ fuga, sed et ipsa culpa in vitium ducit. Obliti sunt descriptores Horatianum illud, non solum in præcipiendo, sed etiam in describendo, verissimum :

. . . . Esto brevis. . . . .
Omne supervacuum pleno de pectore manat.

Omnia illis ad describendum materiam præbent; nihil nimis parvum, nimis minutum videtur. Sic enim secum ratiocinantur : Cur non omnia, quæ in rebus insunt, et in rerum descriptione inessent? Potest imago quæquam nimium fidelis esse aut nimium vera? Esset autem vera et fidelis, si quidquam omitteretur? Ergo nihil omnino omittamus. Atque ita non jam pictores, vel diligentissimos, æmulantur; pictores enim, etiamsi verissimi esse volunt, hoc et illud, utpote nimium supervacaneumque omittunt; solem ipsum æmulantur; pingentem solem dico, quum eadem perfectione silicem aut stipitem atque Mediceæ Veneris effigiem repræsentat. Quin et solem ipsum vincunt. Sol etenim nihil eligit; nostri autem descriptores eodem studio quidquid nimium et supervacuum appetunt, quo, si saperent, fugerent.

Duobus tantum exemplis utar. In principio operis, Lucius nos hæc sedulo docet : « Equi sudorem fronde curiose exfrico, aures remulceo, frenos detraho, in gradum lenem sensim proveho, quoad lassitudinis incommodum alvi solitum ac naturale præsidium eliquaret[1]. » Humile prorsus et sordidissimum, quod tacuisse multo melius erat.

Non Apuleio vitio vertam quod lautissimarum in domo Byrrhenæ epularum accuratissimam descriptionem finxit; res ex iis erat quæ describentis manum vocant; sed paulo post, quum Telephrona vices suas narrantem inducit, quid ad nos si Telephron « aggeratis in cumulum stra-

[1] Tom. I, p. 13.

gulis, et effultis in cubitum, suberectusque in torum, porrexerit dexteram et ad instar oratorum conformaverit articulum; duobusque infimis conclusis digitis, ceteros eminentes porrigens, et infesto pollice clementer subridens, inceperit [1]? » Posco iterum : Quid ad rem? O indefessi descriptores, defessis lectoribus vestris aliquantulum parcite !

IX. — DE PSYCHES FABULA.

Nobilis hæc fabula, ex ingeniosissimis venustissimisque totius antiquitatis, Metamorphoseon tanquam flos est, quem, ad recentiorum voluptatem, novorum colorum fuco exornare, ipsius Apuleii exemplo freti, Fontanius Corneliusque et Molerius non dedignati sunt. Eo pluris ergo nobis facienda est quod a talibus viris in Gallicis litteris tanquam civitate donata est.

Prima fabellæ hujus apud Apuleium laus est quod lectorem post tot fœda et turpia tanquam respirare sinit; nihil ibi horrendum aut absurdum; absunt et magi et magæ cum suis ineptiis. Quæ prodigia videmus, divina sunt, et Diis profecto licet mirabilia operari, tum præsertim quum miraculis illis et venustas inest et lepos. Neque miracula tantum in fabella hac, sed omnia venusta et lepida sunt. Qualis sit Psyche diximus; amores ejus et jucunde simul et fortiter expressi; veri affectus decora tandem pictura gaudere possumus : non quod « a socco ad cothurnum » ascendamus : narratiuncula hæc contra, etsi hic et illic tanquam contermina tragœdiæ esse videatur, numquam tamen tragicos fines ingreditur et se intra comœdiæ terminos, aliquantum modo satiræ admittens, sapientissime continet. Nonnullæ prorsus rhetoris manum produnt maculæ :

[1] Tom. I, p. 141.

Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis. . . . .

Quibus exceptis, Apuleius ibi fere (neque id parum mirabile est) in describendo parcus, in perorando modicus, in narrando brevis et pressus, plurimis locis sale et facetiis scatens. Tota narratiuncula vividum aliquid et alacre spirat; expedita et levis ingreditur. Ab Africano rhetore latine vestita, incessus levitate et venustate Atticam originem prodit.

Dixi aliquantum satiræ comœdiæ immisceri. Hoc enim peculiariter fabella hæc distinguitur quod Aristophanis nos et Luciani admovet. Rarum quidem apud Latinos. Non displicebit ergo miseros illos Deos immortales, a regendis humanis rebus contumeliose dejectos, qualiter ab impio rhetore habeantur, contemplari. Non mediocre ornamentum ab iis Apuleii narrationi accessit.

Jam et de ipso Cupidine parum reverenter noster loquitur, cum eum « pinnatum illum et satis temerarium... qui nihil prorsus boni facit[1], » appellat; neque majori pietate *hirtuosum* deum Pana nuncupat, quem insuper inducit ut se rusticanum et opilionem esse confiteatur. Sed maximis minime pepercit.

Gavia, verbosa et satis curiosa avis, ad Venerem primum nuntium Cupidinis et Psyches amorum adportat. Quid ad hæc « Æneadum genitrix, hominum Divumque voluptas? »

« Ergo jam ille bonus filius meus habet amicam aliquam[2]? Prome agedum... nomen ejus, quæ puerum ingenuum et investem sollicitavit. » Et audito Psyches nomine : « Nimirum istud incrementum lenam me putavit, cujus monstratu puellam illam cognosceret. »

« Hæc quiritans properiter emergit e mari, suumque protinus aureum thalamum petiit; et reperto, sicut audierat, ægroto puero, jam inde a foribus quam maxime boans :

[1] Tom. I, p. 304. — [2] *Id.*, p. 372 et suiv.

Honesta, inquit, hæc, et natalibus nostris bonæque tuæ frugi congruentia? Ut primum quidem tuæ parentis, imo dominæ præcepta calcares, nec sordidis amoribus inimicam meam pollueres... Sed utique præsumis, nugo, et corruptor et inamabilis, te solum generosum, nec me jam per ætatem posse concipere. Velim ergo scias multo te meliorem filium alium genituram, imo ut contumeliam magis sentias, aliquem de meis adoptaturam vernulis, eique donaturam istas pinnas, et flammas, et arcum, et istas sagittas, et omnem meam supellectilem, quam tibi non ad hos usus dederam... Male prima pueritia inductus es, et acutas manus habes et majores tuos irreverenter pulsasti toties.... » Sic effata, foras sese proripit infesta, et stomachata biles Venereas. »

Occurrunt ei Ceres et Juno, quibus domus suæ opprobrium narrat. At illæ, bonæ feminæ[1] : « Quod isti crimen si puellæ lepidæ libenter arrisit? An ignoras eum juvenem esse.... An quod ætatem portat bellule, puer tibi semper videtur? » Neque mirandum est si venerabiles illæ divæ Olympi matronæ, juvenis causam agant : « patrocinio gratioso Cupidini absenti blandiuntur. »

Tunc Venus Mercurii ministerium invocat, et ille, mandata deæ exsequens, hæc per omnes populos prædicat[2] : « Si quis a fuga retrahere, vel occultam demonstrare poterit fugitivam regis filiam, Veneris ancillam, nomine Psychen, conveniat retro metas martias Mercurium prædicatorem, accepturus indicinæ momine ab ipso Venere septem savia suavia. » Cujus quidem præmii cupido certatim omnium mortalium studium arrexerat.

Psychen tandem tenet[3] : « Caput quatiens et adscalpens aurem dexteram : Tandem dignata es socrum tuam salutare!... Ecce nobis concepto partu commovet miserationem; unde me præclara sobole aviam beatam scilicet faciat. Felix vero ego, quæ in ipso ætatis meæ flore vocabor avia; et vilis

[1] Tom. I, p. 380. — [2] *Id.*, p. 394. — [3] *Id.*, p. 397.

ancillæ filius nepos Veneris audiet. » Verum dea romanas leges didicit : « Impares nuptiæ, et præterea in villa, sine testibus et patre non consentiente factæ, legitimæ non possunt videri; ac per hoc spurius iste nascetur... »

Orci domus ridiculis monstris referta ab impio narratore ostenditur. Charon squalidus modo senex est; Parcæ, textrices anus, telam struentes. Sed quomodo inferos deos vereretur, qui magnum ipsum Jovem audet deridere? Supplicanti Cupidini, sic, apud Apuleium, « divum pater atque hominum rex » respondet[1] :

« Licet tu, domine fili, nunquam mihi concessu Deum decretum servaris honorem, sed istud pectus meum, quo leges elementorum et vices siderum disponuntur, convulneraris assiduis ictibus, crebrisque terrenæ libidinis fœdaveris casibus, contraque leges, et ipsam Juliam, disciplinamque publicam, turpibus adulteriis existimationem famamque meam læseris, in serpentes, in ignes, in feras, in aves et gregalia pecua serenos vultus meos sordide reformando attamen, modestiæ meæ memor, quodque inter istas manus meas creveris, cuncta perficiam... »

« Sic fatus, jubet Mercurium deos omnes ad concionem protinus convocare; ac, si qui cœtu cœlestium defuisset, in pœnam decem millium nummum conventum iri pronuntiare. Quo metu statim completo cœlesti theatro, pro sede sublimi sedens procerus Jupiter, sic enuntiat : « Dei conscripti Musarum albo, adolescentem istum quod manibus meis alumnatus sim profecto scitis omnes : cujus primæ juventutis caloratos impetus freno quodam coercendos existimavi. Sat est quotidianis eum fabulis ob adulteria cunctasque corruptelas infamatum. Tollenda est omnis occasio, et luxuria puerilis nuptialibus pedicis religanda. Puellam elegit : teneat, possideat, semper suis amoribus perfruatur. Et ad Venerem collata facie : Nec tu, inquit, filia, quidquam contristare; nec prosapiæ tantæ tuæ, statuique de matrimo-

[1] Tom. I, p. 425.

nio mortali metuas. Jam faxo nuptias non impares, sed legitimas et jure civili congruas. Et illico per Mercurium arripi Psychen et in cœlum perduci jubet. Porrecto ambrosiæ poculo : « Sume, inquit, Psyche, et immortalis esto : nec unquam digredietur a tuo nexu Cupido, sed istæ vobis erunt perpetuæ nuptiæ. »

Hæc forsan paulo longiora; sed eo excusemur quod prope unicus suique generis in totis latinis litteris locus ille nobis visus est. Non jam Africanum rhetorem habemus, sed vere Latinum Lucianum.

Quid nunc de opinione illa censebimus, Psyches scilicet fabula « altissimas arcanæ doctrinæ ambages contineri[1] ? » Multis iisdemque doctissimis viris ita visum; sed non paucis, neque minus doctis, longe aliter. Eruditus opusculi *De Mystica Apuleii doctrina* auctor, postquam doctos omnes[2], quorum auctoritate seque suamque opinionem tueatur, protulit, hæc addit[3] : Quis sub Psyches persona animam significari possit dubitare, invidiæ, malis omnibus, quando corpore contineatur, obnoxiam; sed puram utique, et ad supera, exuto corpore, revolantem?... Hic plurima altissimæ et antiquissimæ, deformata licet, philosophiæ vestigia deprehendere fas est. » Non nostrum est profecto tantas componere lites, sed aliter opinandi veniam poscimus. Quin priscus mythi, antequam fabula fieret, sensus talis sit, aut his proximus, neminem prorsus dubitare posse arbitramur; sed idem, apud Apuleium, in ore « deliræ et temulentæ aniculæ[4] » significare non ita perspicuum mihi videtur. Quid enim? lectorem suum Apuleius per tot horrenda, ridicula et turpia in speluncam hanc latronum adduxisset, ut subito de lepido necnon interdum obscæno narratore mystagogus factus, arcanæ et philosophicæ doctrinæ venerandas ambages evolveret? Mire quidem et locum et tempus, ad phi-

[1] *De mystica Apulei doctrina*, Thèse soutenue devant la Faculté de Paris, en 1839, par M. Charpentier, p. 16. — [2] *Id.* — [3] *Id.*, p. 17. — [4] Tom. I, p. 429.

losophandum, tali præfatione usus, elegit! Quam egregie præparatos ad accipienda, ut ipse ait, sacra, auditores habet! Quam se pium antea et dignum mysteriorum initiatorem præbuit! Quod si saltem nihil in se fabula quod a philosophico et mystico sensu alienum esset, haberet, aliquid tale meditatum esse Apuleium forsitan agnoscerem; sed tam longe aliter se res habere mihi videtur ut frustra aliquid quod a philosophica significatione alienum non sit, in tota fabula quæram. In Psyche, non humani animi figuram, sed ingenuam et amabilem puellam; in sororibus ejus, in Diis Deabusque omnibus, nihil aliud nisi comicas personas video. In hac fabella, quam si philosophicam scriptor fingere voluisset, simplicem admodum finxisset, adventitia ornamenta longe maximum locum obtinent; omnia ad delectationem et risum manifesto tendunt; ad docendum, meo quidem judicio, nihil. Nec meo tantum (soli enim mihi diffiderem), quum et peritissimus Apuleii translator [1] et auctor gravissimus, artis criticæ et professoriæ exemplum et decus [2], idem omnino censeant. Ipsi, ut Apuleii verbis utar, opinionis et meæ et suæ præsidia gestabunt.

[1] Nous restons convaincus qu'Apulée, en introduisant cet épisode, n'a voulu qu'exercer sa plume, et rien davantage. Sans doute, ce mythe avait originairement dans la tradition païenne un sens bien certain et bien complet; mais il avait été amplifié par différents auteurs, et, insensiblement, la forme ayant prévalu sur le fond, ce ne fut plus qu'une espèce de conte fantastique, auquel s'ajoutèrent de nouvelles merveilles, selon le caprice des imaginations. En même temps, et par une conséquence toute naturelle, l'esprit général, qui avait présidé à la création de cette œuvre, disparut et s'effaça complétement. Quand Apulée s'en empara, ce n'était plus qu'un conte de fées; et quel commentateur serait assez intrépide pour analyser et réduire en système *Peau-d'Ane* ou *la Belle au bois dormant?* — (Bétolaud, traduction d'Apulée, collect. Panckouke, tome I, p. 320).

[2] L'histoire de Psyché est une des plus gracieuses qui nous viennent de l'antiquité. Peut-être était-ce d'abord une allégorie; mais l'allégorie a bientôt tourné au conte, grâce à la nature du génie grec, qui ne laisse pas longtemps la fiction dans les mystères et dans les emblèmes, mais qui aime à la faire aboutir aux images visibles et vivantes. . . . .

C'est dans ce roman (*les Métamorphoses*), que se trouve la délicieuse

Quæ quum ita se habeant, et nihil aliud Apuleio Psyches fabula, nisi materiem quamdam poeticam, ornamentorum capacem, præbuerit, Africanum rhetorem cum inclytis duobus poetis nostris conferre æquum erit; idque eo libentius faciemus quod non ita impar congressus (contra exspectatum) tantis adversariis apparebit.

De Fontanii virtutibus plane supervacaneum est disserere. Vitia ejus tantum, aut saltem quæ mihi videntur, attingam.

Nonne in eo primum erravit quod materiem suam alienis et paulo longius arcessitis ornamentis indigere existimavit? Unde factum est ut, quæ ornamenta fore rebatur, in impedimenta, ut ita dicam, verterint. Non equidem de his loquor quæ intra materiæ terminos, etsi a Fontanio inventa, continentur : qualia de spelunca et sene et duabus puellis et Inferorum descriptione et Psyches ad Tartara itinere narrantur; sed de his quæ, extra materiem, fabulæ intermista sunt; videntur illa mihi et fabulam non ita grate protrahere et legentium animos non multo gratius distrahere. Cui non hodie frigent illa de Versaliarum miraculis? Et quid ad Psychen, si Polyphilus, et Acanthus, et Aristus, et Gelastus non idem omnes de risu et lacrymis movendis sentiant? « Et fortasse cupressum scis simulare... Sed nunc non erat his locus. » Non quod flexilis ille discursus voluptate et leporibus omnino careat; sed et minus opportunus esse, et paululum languere et cito consenuisse mihi videtur.

Dixit quidem Fontanius opus suum, sine ulla ad Apuleium relatione considerandum esse[1]. Haud sane hoc absque

histoire de Psyché, dont Apulée fait un conte des *Mille et une Nuits*, visant plus à raconter des aventures merveilleuses qu'à peindre la tendresse ingénue de Psyché et de l'Amour..... L'histoire de Psyché est comme une transition du récit mythologique au conte des fées, et où le conte domine. (Saint-Marc Girardin, *Cours de littérature dramatique*, De l'Amour ingénu. — Voy. le 1er numéro du *Magasin de librairie*.)

[1] Pour bien faire, il faut considérer mon ouvrage sans relation à ce qu'a fait Apulée, et ce qu'a fait Apulée, sans relation à mon livre, et là-dessus s'abandonner à son goût (*Psyché*, Préface).

ratione. Sed quum aliquis et Apuleii fabellam et Fontanii separatim legit, quomodo non sibi dicat : Ambo antiquitus traditam materiem concinnaverunt. Uter melius?

In hoc deinde peccavisse videtur (« modesto enim et circumspecto judicio de tantis viris pronuntiandum est ») quod populares auras ut ita dicam, in conscribendo opere nimium forsan captavit et studiis hominum nimium indulsit. Ipse quod amatorium est, τὸ ἐρωτικὸν, diligentius quæsivisse se, cum damno forsitan operis sui, aperit[1]. Habemus confitentem reum, et seipsum severius quam quisquam ausus esset, castigantem. Nimium Fontanii narrationi inest amatoriæ venustatis[2]. (Male sit latini sermonis egestati! rem enim antiqui nôrunt, etsi peculiare nomen non indiderint). Affectatam quamdam interdum habemus et callidam et nimis doctam simplicitatem; totum opus latius altiusque impressam « præsentem notam, » ut ait Flaccus, præfert; mutatis studiis, quomodo hæc omnia non languerent frigerentque?

Denique et in poesim, et in se, et in æquales suos et in posteritatem omnem peccavit Fontanius quod fabellam soluta oratione conscripsit; atque hoc affirmare non dubitabimus, quum nemo negare ausit culpam eam esse quæ nos Fontanii versibus fraudaverit. Confessus est se magnopere in perficienda prosa sua sudavisse[3] : rectissime sane; quo

[1] Mon principal but est toujours de plaire. Pour en venir là, je considère le goût du siècle. Or, après plusieurs expériences, il m'a semblé que ce goût se porte *au galant* et à la plaisanterie..... Il a fallu chercher du galant et de la plaisanterie. Quand il ne l'aurait pas fallu, mon inclination m'y portait, *et peut-être y suis-je tombé en beaucoup d'endroits contre la raison et la bienséance* (*Psyché*, Préface).

[2] Ce que La Fontaine appelle *le galant*.

[3] J'ai trouvé de plus grandes difficultés dans cet ouvrage qu'en aucun autre qui soit sorti de ma plume..... D'amener de la prose à quelque point de perfection, il ne semble pas que ce soit une chose fort malaisée; c'est la langue naturelle de tous les hommes. Avec cela, je confesse qu'elle me coûte autant que les vers; que, si jamais elle m'a coûté, c'est dans cet ouvrage (*Id.*).

enim quis peccavit, eo illum pœnas dare æquum est. Aliquot ii versus, quibus fabellam inspersit Fontanius, nocentissimum eum faciunt; nempe exquisitissimi sunt. Quod si totum opus carminibus conscripsisset, laborem neque ipse profecto esset confessus, neque nos sensissemus, neque quisquam unquam questus esset quod aliquid nimis antiqui et exoleti opus hoc redoleret. Ex iis enim Fontanius erat qui carminibus, tanquam naturali sermone, et prosa, tanquam arcessita linqua, loquuntur. Hoc autem proverbium quod nos « Ne sutor ultra crepidam » docuit, et illud « Ne poeta infra carmen » docere debuit. Musa ales : male erit illi, si quæ volare potest, pedes ingrediatur. Figant in solo vestigia et humo repant quibus alas Deus indivit !

Quod si præsentem notam, ut diximus, paulo altius impressam, Fontanii Psyche præfert, quid nobis de illa quam Molerius una Corneliusque concinnaverunt, videbitur? Aptissima quidem theatro res erat, atque illi præsertim ubi machinarum miraculis musicæ voluptas admiscetur; sed in theatro maxime studiis hominum indulgendum est; quid, quum non hominum modo, sed regis voluptati serviendum est, et regis Ludovici quarti decimi, imperantis et instantis[1]? Pro certo habeamus totum fabulæ et personarum habitum ad normam regalis judicii mutatum iri. Nusquam temporum locorumve verius fuit tam sæpe usurpatum illud :

..... Totus componitur orbis
Regis ad exemplar......

Psyche vere regia virgo est, in aula Ludovici quarti decimi nutrita, non tantum dulcia in ore habens, sed sublimia, Racinianæ Iphigeniæ consanguinea, necnon Chimenæ simul et Æmiliæ. Non virgineum modo et femineum, sed

[1] ..... Les *ordres pressants* du roi qui se voulait donner ce magnifique divertissement plusieurs fois avant le carême.... Par ce moyen (la collaboration de Corneille et de Quinault), Sa Majesté s'est trouvée servie dans le temps qu'elle l'*avait ordonné.* (*Psyché*, le Libraire au Lecteur.)

heroicum aliquid et tragicum spirat, et tantum non, ut in Cornelii familia mos est, ampullatur. Haud scio an hoc illi magis proprium et peculiare sit quam simplex et ingenuus amor. Audiamus eam patri suadentem ne regiam majestatem lacrymis minuat : haud aliter Agamemnona Iphigenia alloquetur[1]. Quam longe intrepida et philosophans virago a tenella puella abest quam Apuleius descripsit! Quæ ferocia[1]! quæ fortitudo[2]! Quam docte intima pectoris sui scrutatur et multiplices novosque sensus explicat[3]! vel hoc tantum Cornelianam originem arguens.

Quid de duobus procis loquar? Non jam perridiculi isti mariti quos Psyches Apuleianæ sorores tantopere oderunt;

[1] ..... C'est trop aux bontés que vous avez pour moi
Que de laisser régner les tendresses du père
Jusque dans les yeux d'un grand roi.
Ce qu'on vous voit ici donner à la nature,
Au rang que vous tenez, seigneur, fait trop d'injure.
. . . .
Et cessez d'honorer mon destin par des pleurs
Qui, dans le cœur d'un roi, montrent de la faiblesse.
. . . .
Ces dieux sont maîtres souverains
Des présents qu'ils daignent nous faire.
Seigneur, je suis un don qu'ils ont fait à vos vœux,
Et quand, par cet arrêt, ils veulent me reprendre,
Ils ne vous ôtent rien que vous ne teniez d'eux,
Et c'est sans murmurer que vous devez me rendre.
(Acte II, scène I.)

[2] Reine de tous les cœurs et maîtresse du mien.
(Acte II, scène III.)
Et je n'ai pas besoin d'exemple pour mourir.
(Acte II, scène II.)

[3] ..... Je sens couler dans mes veines glacées
Un je ne sais quel feu que je ne connais pas.
J'ai senti de l'estime et de la complaisance;
De la compassion ; les chagrins innocents
M'en ont fait sentir la puissance ;
Mais je n'ai point encore senti ce que je sens.
Je ne sais ce que c'est ; mais je sais qu'il me charme,
Que je n'en conçois point d'alarme.....
(Acte III, scène III.)

ambo, ut Psyche, in aula nutriti, juvenes, formosi, flos equitum delibatus, magnanimi supra quam necessarium et verisimile est; fratribus illis gloriari possunt et Cornelianus Rodrigus et Racinianus Achilles : perfectissimi prorsus hominum, nisi amatoriis querelis et amatoria urbanitate paulo longius æquo uterentur[1]. De tota fabulæ ratione, ut quam in pejus mutata sit, pateat, hoc unum dicere satis erit : et noctis tenebræ, et Psyche pugione armata pedetentim ingrediens, et Cupido recubans, et lampas et oleum, hæc omnia evanuere; sic theatri dignitas jubebat. Quid autem dulcissimam scenam excepit? Longa et frigidula confessio[2].

Quid inde? Aut ego fallor, aut his de causis, haud scio an e tribus fabellis lectu jucundissima sit Apuleiana, utpote quæ trium, etsi antiquissima, minime consenuisse videatur. Non mediocris ea laus Africano rhetori, talibus viris, aliqua operis sui parte, non inferiorem exstitisse, quum, quibus caret virtutibus, eas jucunditate compenset.

X. — DE UNDECIMO METAMORPHOSEON LIBRO.

Quod maxime mirum in hac fabularum farragine existimaverim, exitus est. Desinit in sanctissimum mysterium parum religiosa superne fabula. Repentina et vere magica mutatione, jocosus obscœnusque narrator mystagogi ministerium suscipit, et arcanam doctrinam explicat et penetralia mysteriorum pandit. Qui quidem exitus multo faciliorem opportunioremque quam Psyches fabula plurimis ansam præbuit, ut Apuleium nonnihil philosophicum in opere suo meditatum esse contenderent. Doctissimus ille vir, de quo supra[3], in hunc librum omnem Apuleii doctrinam confluxisse affirmat, atque hoc in animo auctorem habuisse[4]

[1] Acte V, scène II. — [2] Acte IV, scène III.
[3] Charpentier, *De mystica Apuleii doctrina*, p. 18. — [4] *Id.*, p. 20.

« ut novam religionem, christianam videlicet, occulta doctrina impugnaret, et labantem mysteriorum fidem restitueret; neque tantum[1] ut explicito magnifico gentilium cærimoniarum apparatu, vulgi oculos percelleret, sed ut doctorum etiam animos ipsa mysteriorum descriptione moveret et alliceret. » Quo quidem proposito nihil gravius; verum mihi res usque adeo in dubio versari videtur, ut in contrariam opinionem inclinet animus et Apuleium æstimem nihil aliud ex his mysteriis nisi novum et inexspectatum ornamenti genus libro suo quæsivisse. Non ignoro equidem Apuleium christianos « osores illos generis humani » osum, atque ab iis inimicissimum habitum fuisse. Sed non idcirco crediderim illum tali libro quidquam aut argumentatum esse aut argumentari voluisse. Narrationis exordio : « Intende, ait, lector, lætaberis[2]; » non autem « doceberis. » Non staret promissis si quid præciperet[3]. Ceterum, ut de Psyches fabula diximus, satis superque effecit Apuleius ut nihil ab eo serium requireremus.

Hoc maxime conspicuus liber ille mihi videtur quod nobis aperit non quantum Apuleius erga Isidem aut Proserpinam reverens fuerit, sed quot et quanta jam tum ethnicis mysteriis et christianismo communia essent : adeo gliscens nova religio sese jam putridæ veterum superstitionum moli miscuerat! Operæ pretium erit aliquot exempla proferre.

De precibus Lucii ad eam quam summatem Deam vocat, de responsione Divæ (quæ et sedula obsequia, et religiosa ministeria et *tenaces castimonias* illi præcipit) reticebo, ut ad sacerdotis orationem continuo veniam[4].

« ..... Maximis actus procellis, *ad portum quietis et aram misericordiæ*, tandem, Luci, venisti. Nec tibi natales, ac ne dignitas quidem, vel ipsa, qua flores, usquam doctrina profuit : sed lubrico virentis ætatulæ ad serviles delapsus vo-

[1] Charpentier, *de Mystica Apuleii doctrina*, 22. — [2] Tom. I, p. 11.

[3] Cum Rabelasius noster aliquid serii meditatur, id clarissime, exordio libri sui, profitetur.

[4] Tom. I, p. 782 et sqq.

luptates, curiositatis improsperæ sinistrum præmium reportasti..... *Videant irreligiosi, videant et errorem suum recognoscant.* En ecce pristinis ærumnis absolutus, Isidis magnæ providentia gaudens, Lucius de sua fortuna triumphat. Quo tibi tamen tutior sis atque munitior, *da nomen huic sanctæ militiæ....*, teque jam nunc obsequio religionis nostræ dedica, et *ministerii jugum subi voluntarium.* Nam *quum cœperis Deæ servire, tunc magis senties fructum tuæ libertatis.* »

Quod si unum Isidis nomen excipias, num aliter verba facturum fuisse christianum sacerdotem putas? Nonne omnia hæc, nec sensu modo, sed et ipsis verbis, vere christiana sunt? Nonne Christi ministrum de cathedra triumphantem audimus, quod divinæ gratiæ fulmine irreligiosus homo tactus et conversus sit? Sed quid cathedram fingo? Nonne, reipsa, grammateus « de sublimi suggestu, fausta vota precatur principi magno, senatuique et equiti totique Romano populo [1]? » Jam prope aram erectus est augustus ille suggestus, inaudita olim eloquentia sonaturus.

Neque sacerdotes modo christiano sermone loquuntur. Audiamus Lucium, jam conversum, nondum sacro collegio admissum : « Deæ ministeriis adhuc privatis appositus, contuberniisque sacerdotum individuus, et numinis magni cultor inseparabilis. Nec fuit nox una, vel quies aliqua, visu Deæ monituque jejuna; sed crebris imperiis, sacris suis me jam dudum destinatum, nunc saltem censebat initiari. At ego, quanquam cupienti voluntate præditus, tamen religiosa formidine retrahebar; quod enim sedulo percontaveram difficile religionis obsequium, et castimoniarum abstinentiam satis arduam, cautoque circumspectu vitam, quæ multis casibus subjacet, esse muniendam [2]. » Habemus juvenis christiani confessionem, antequam sancta hæc vota, quibus in perpetuum ligabitur, nuncupet; habemus sanctam ad Deum vocationem, quam *crebra imperia* denuntiant

[1] Tom. I, p. 789. — [2] *Id.*, p. 792, 793.

habemus denique christiani terrores, timentis ne tanto tamque gravi ministerio impar sit.

Ecce autem nunc, non jam de sancta cathedra prædicatio, sed verba sacerdotis ad eum cujus animum et conscientiam dirigit. Instanti Lucio ut initietur, respondet[1] « aviditati contumaciæque summe cavendum, et utramque culpam vitandam » ut neque vocatus moretur, nec non jussus festinet. « Nec tamen esse quemquam de suo numero tam perditæ mentis, vel imo destinatæ mortis, qui non sibi quoque seorsum jubente domina, temerarium atque sacrilegum audeat ministerium subire, *noxamque letalem* contrahere. Nam et inferum claustra, et salutis tutelam in Deæ manu posita, ipsamque traditionem ad instar *voluntariæ mortis* et precariæ salutis celebrari..... Oportere me, non secus quam cultores ceteros, cibis profanis ac nefariis jam nunc temperare quo rectius ad arcana purissimæ religionis secreta pervaderem[2]. » Quis non arbitretur verba hæc ad christianum fieri, sese ad sacrosanctæ mensæ mysteria præparantem? Neque alia desunt quæ similitudinem augeant, cum et hæc legamus : *Accipiendorum sacrorum cupido;* et illa : *Numen sanctissimum intra pectoris mei secreta conditum perpetuo custodiens*. Nonne Lucius vere baptizatur, quum eum sacerdos, « sueto lavacro traditum, præfatus Deum veniam, purissime circumrorans, abluit? » Per decem continuos dies, illi abstinendum est omni voluptate cibaria, omni animali et vino. Jam Deus « famulos » habet; jam hi famuli « religiosi » vocantur, et quo major similitudo sit, habent adrasum caput; jam Roma non modo urbs regina et orbis terrarum caput, sed « sacrosancta civitas » nuncupatur, tanquam si Isis divum Petrum de petra sua movere vellet. Preces denique Lucii ad Deam suam, quum « vix abruptis ardentissimi desiderii retinaculis, domuitionem comparat, » meram nobis Λιτανείαν exhibent, et sic jocosa hæc et multiplex comœdia non matrimonio concluditur, sed *peccatoris con-*

[1] Tom. I, p. 798. — [2] *Id.*, 798 et sqq.

versione. Vivet deinceps Lucius causidicus et *pastophorus.*

Longe quidem talia a totius fabulæ ratione discrepant ; sed nihil aliud, meo certe judicio, significant, nisi magnopere Apuleium, inexspectata repente lectoribus suis exhibendo, delectari, eumque ingenii famam non in facetiis modo et lepidis narratiunculis, sed in gravibus quoque, quærere. Quod si cui, Metamorphoses tantum legenti et undecimum hunc librum maxime consideranti dubium fuerit, cetera ejusdem auctoris, in quibus ipse de se testimonium dicit, attentius inspicienti, plane manifestum apparebit.

Interrogatus ipse Apuleius quid de se censere debeamus, respondeat. Præsto sunt Florida et Apologia, « plena ipso. » Sciamus demum num philosophum ante oculos habeamus, et si philosophum, qualem.

XI. — NUM PHILOSOPHUS APULEIUS.

Primum, si Apuleio credimus (nihil prorsus jucundius habet quam de se ipso loqui), non philosophus modo est, sed φιλοσοφώτατος. Philosophiam in ore semper habet. Audimus eum proclamantem : « Major meus Socrates[1] ; » et « nos, Platonica familia[2]. » Nemo magis falsos philosophos, eos nempe qui « pallio tenus[3] » philosophos imitantur, « palliata mendicabula[4] » contemnit. Sese augusto cœtui, cui Epimenides, Orpheus, Pythagoras, Empedocles, Socrati et Platoni adnumerantur, aggregat[5]. Aristotele etiam et Theophrasto « majoribus[6] » gloriatur. Platone denique « vitæ magistro[7] » vel in minimis utitur. Non per illum stetit quominus verissime philosophari crederetur.

Fama autem ejusdem longe aliud sonat. Qui non ita

[1] *Florida*, 2. — [2] *Apol.*, 535, 536. — [3] *Id.*, 7. — [4] *Fl.*, 9. — [5] *Apol.*, 453. — [6] *Id.*, 92. — [7] *Id.*, 164.

multo post eum vixerunt, Apuleium non tam philosophum quam magum fuisse proclamant : inter quos Africani duo, Lactantius et sanctus Augustinus. Platonicæ quidem philosophiæ laudem[1] tribuit illi sanctissimus episcopus, sed et peritum magum[2] eum fuisse non negat. Refert Lactantius[3] multa ejus miracula solere memorari; et insuper eum sanctus Hieronymus[4] cum Ægyptiis magis et Apollonio, qui mirabilia operati sunt, confert. Neque, ut infra patebit, post mortem tantum magus habitus est Apuleius.

Qualis ergo philosophus ille est qui, et vivus et mortuus, habetur magus? Haud equidem dissimulabo me magnopere philosophiæ ejus diffidere.

Scripsit sane Apuleius aliquot philosophica, non ea tamen quæ verum philosophum prodant. Horum quædam periere, ut Phœdo, Hermagoras et de Republica liber : sed ipsa nomina Platonicam originem satis denuntiant. Quæ autem servata, tria sunt : de Deo Socratis, de Dogmate Platonis, de Mundo; hæc duo ultima aridam, ideoque non ita fidelem Platonicæ et Aristotelicæ doctrinæ adumbrationem præbent; primum autem, una cum Socraticis placitis et sub Socratis nomine, novam quamdam *de Dæmonibus* doctrinam exhibet quam e mysteriis ortam suscepturi brevi erant Alexandrini philosophi; mystica enim magis quam philosophica videtur. Nollem equidem, philosophicas res aggrediendo, gravissimum onus imparibus humeris subire; hoc tamen affirmari posse existimo, Apuleium, in philosophicis suis, non philosophum, sed alienæ philosophiæ translatorem vulgatoremque modo exstitisse.

Ut qualis fuerit recte judicemus, ad ea veniamus oportet quæ et illi propria sunt et tanquam collectos ejus ingenii flores offerunt. *Florida* dico et *Apologiam*.

In Floridis nihil non invenimus : philosophiam, historiam, geographiam, medicinam, astronomiam, physicam,

[1] *Cité de Dieu*, VIII, 12. — [2] *Ep.* Ire *à Marcellin.* — [3] *Inst. divin.*, V, 3. — [4] *In Psalm.* 81.

multo majorem denique quam in Metamorphosibus farraginem, et in omnibus fere, si Apologiam addideris, Apuleium suametipsa manu depictum :

> Quo fit ut omnis
> Votiva pateat veluti descripta tabella
> Vita senis.....

Tabellam ergo, a philosophia orsi, inspiciamus.

Hoc Apuleio in philosophia, tanquam in ceteris, proprium est quod omnia genera, methodo illa, quam ἐκλεκτισμὸν vocaverunt, largissime usus, permiscet. Nunc vere Socraticum et Platonicum habemus, vel etiam Pythagoricum, gymnosophistas laudantem « quod homines sunt periti non propagandæ vitis, nec inoculandæ arboris, nec proscindendi soli... Quid igitur est? Unum pro his omnibus colunt. Sapientiam percolunt, tam magistri senes, quam discipuli minores[1]. » Alias ait philosophia se doctum esse « non tantum beneficium amare, sed maleficium[2]. » Deum magnificè describit, verus Platonis discipulus : « Totius rerum naturæ causa, et ratio origo initialis, summus animi genitor, æternus animantium sospitator, assiduus mundi sui opifex. Sed enim sine opera opifex, sine cura sospitator, sine propagatione genitor, neque loco, neque tempore, neque vice ulla comprehensus, eoque paucis cogitabilis, nemini effabilis[3]. » Nunc contra philosophus ille de Socratica et Platonica familia, sophistam Hippiam effusè laudabit quod et omnem vestitum suum ipse suis manibus confecerit, neque ampullæ oleariæ, neque honestæ strigileculæ descriptionem omittet, hæc addens : « Quis non laudabit hominem tam numerosa arte multiscium? tot jugi scientia magnificum? tot utensilium peritia Dædalum[4]? » Alias perridiculam et turpissimam de Cratete cynico historiunculam narrabit[5] aut etiam vesano illi homini invidere se[6], nec non Diogeni et Herculi qui nulla alia supecllectile nisi baculo utebantur[7]

[1] *Fl.*, 6. — [2] *Id.*, 9. — [3] *Apol.*, 536. — [4] *Florid.*, 9. — [5] *Id.*, 14. — [6] *Apol.*, 440. — [7] *Id.*, 442.

profitebitur. Pythagoram inter magos ponet[1]. De Socrate puerilia, perquam serio, referet[2]; de Protagora et Evathlo sophistis nihil aliud nisi fraudulentas quasdam argutias[3], satis tot exemplis significans philosophiæ historiam sibi in talibus versari. Ad Cratetem suum recurret, eumque ridiculo encomio cum Hercule conferet[4] : « Quod Herculem olim poetæ memorant monstra illa immania hominum ac ferarum virtute subegisse, orbemque terræ purgasse : similiter adversus Iracundiam et Invidiam, Avaritiam atque Libidinem, ceteraque animi humani monstra et flagitia philosophus iste Hercules fuit. » Aristippi denique sententiam valde probabit, quum roganti tyranno quid illi philosophiæ studium tam impensum tamque diutinum profuisset, respondit philosophus : « Ut cum omnibus hominibus secure et intrepide fabularer[5]. » Qui est iste philosophus qui non modo cynicorum tupitudinem, sed manûs et linguæ solertiam inter philosophica adnumerat? Næ, valde vereor ne Protagoram et Hippiam sophistas, non autem Socratem et Platonem philosophos, majores habeat.

Hoc autem non jam verendum, sed affirmandum, si paulo longius processerimus, erit.

Nemo non meminit quam lepide Juvenalis Græculum esurientem depingat :

« Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
« Augur, shænobates, medicus, magus, omnia novit. »

Nostrum, Africanum licet, Juvenalis depinxit. Africanus enim origine, non modo litteris, sed et omnibus Græcorum artibus imbutus est. A Marcello medico, tanquam gravissimus in medicina auctor, in testimonium una cum Celso, vocatur. Ait ipse philosophi esse medicinæ studere : « Desinant isti mirari si philosophi suapte doctrina causas morborum et remedia noverunt[6]. » Quid multa? medicinam exercuit, ægros invisit, ab aliis medicis de morbis remediisque con-

[1] *Apol.*, 465. — [2] *Id.*, 421. — [3] *Fl.*, 18. — [4] *Id.*, 22. — [5] *Id.*, 23. — [6] *Apol.*, 511.

sultus est[1]. Qualis medicus fuerit, non meum est æstimare. Judicabunt periti de homine *magnetismo naturali* (absit barbarismo invidia) credente ejusque exemplum e Varrone excerptum, proferente[2] : « Illud, ait memorabili loco, mecum reputo posse animum humanum, *præsertim puerilem et simplicem*, seu carminum avocamento, sive odorum delinimento, *soporari*, *et ad oblivionem præsentium externari : et paulisper remota corporis memoria, redigi ac redire ad naturam suam*, *quæ est immortalis scilicet et divina ;* atque ita, veluti quodam sopore, futura rerum præsagire[3]. » Omnes tamen æstimabunt eum, quum gravissimum in medicina auctorem Homerum[4] invocat aut in comitialis morbi naturam et causas ducibus Platone, Aristotele, Theophrasto, inquirit[5], famosis illis Molerianis medicis haud absimilem esse. Certe, quum terribili morbo huic remedio esse ait (auctore Theophrasto) *exuvias stellionum*, —*dignus est intrare in docto corpore.*

Physicus est. Experimenta facit. « Thales, ait, jam proclivi senectute, divinam rationem de sole commentus est ; quam equidem non didici modo, verum etiam *experiendo* comprobavi[6]. » Alias physicam scientiam de speculis[7] majore jactantia quam ratione, explicat ostentatque. Et nos et auditores suos docet se Aristotelis opera Περὶ ζώων γενέσεως, Περὶ ζώων ανατομῆς, Περὶ ζώων ἱστορίας, « ornatius et cohibilius græce et latine adnixum esse conscribere, et in omnibus aut omissa anquirere, aut defecta supplere[8]. » Quædam de his coram judicibus recitari jubet. Gloriatur quod multa nova, ad historiam animalium pertinentia, latina vocabula protulerit : « Animadvertes, ait ad Maximum[9], quum res cognitu raras, tum nomina etiam Romanis inusitata, et in hodiernum, quod sciam, infecta : ea tamen nomina labore meo et studio ita de Græcis provenire ut tamen latina moneta percussa sint. » Juvat eum quam docte mores anima-

[1] *Apol.*, 505. — [2] *Id.*, 496. — [3] *Id.*, 498. — [4] *Id.*, 491. — [5] *Id.*, 510. — [6] *Flor.*, XVIII. — [7] *Apol.*, 422-426. — [8] *Id.*, 478. — [9] *Id.*, 481.

lium percalleat, ubi res ita fert, ostentare. De Indis verba faciens, prælia inter se serpentium elephantorumque attingit[1]. Psittaci (novi tunc miraculi) et formam et mores, Plinium secutus, accuratissime describit[2]. Ne a falsis quidem et puerilibus commentis, dummodo doctum agat, abstinet. Sic et viperam ait exeso matris utero in lucem proserpere et parricidio gigni, et crocodilo[3] dentes multis hirudinibus implicitos, fluvialem avem rostro exscalpere et purgare.

Non historicus est (quamquam quis scit an non aliquam historiam conscripserit?) : neque tamen ab agendis historici et geographi partibus abstinet. De Indis diversisque apud eos hominum generibus, quorum rationem non ita recte novisse videtur, declamatoria aliquot verba facit[4]; verum etsi parum doctus, apud homines minus etiam, quam erat ipse, doctos, loquebatur. De Alexandro, ut mos tamdiu fuit, inania et falsa, ore rotundo, effutit[5], eum in primis laudans « quod nolens a multis artificibus vulgo contaminari, edixit universo orbi suo ne quis effigiem regis temere assimilaret, ære, colore, cælamine. » Præclarum quidem! Infelix sane præ ceteris Alexander fuit, quod tantam tamque loquacem, post mortem suam, declamatorum progeniem genuerit. Geographiæ vero genus prorsus consimile colit, et quod declamatoriam geographiam appellaverim. Sic de Indorum regione[6] incipit : « Indi, gens populosa cultoribus, et finibus maxima, procul a nobis ad Orientem siti, prope Oceani reflexus et solis exortus, primis sideribus, ultimis terris, super Ægyptios eruditos, et Judæos superstitiosos, et Nabathæos mercatores, et fluxos vestium Arsacidas, et frugum pauperes Ituræos, et odorum divites Arabas. » O eloquentem geographum! Alias de insula Samo[7] nonnulla modestius loquitur, sed eo consilio ut ad describendum signum quoddam, in templo Junonis positum, inducatur : in qua quidem descriptione declamatoriæ facundiæ habenas immittit.

[1] *Flor.*, 6. — [2] *Id.*, 12. — [3] *Apol.*, 396. — [4] *Fl.*, 6. — [5] *Id.*, 7. — [6] *Id.*, 6. — [7] *Id.*, 15.

Quod ad litteras proprie spectat, judicii perpauca, eruditionis multa exempla attulit. De Philemone[1] judicium satis exactum, Quintiliani modo, enuntiat, sed Quintiliani declamantis. Homerum appellat « poetam multiscium, vel potius cunctarum rerum apprime peritum[2]. » Quid jam de Aristotele diceret? De Sophocle nihil aliud, nisi toties repetita illa de crimine insaniæ et recitato, coram judicibus, Œdipo Coloneo narratiuncula[3]. Verum, si judicium deest, non deest eruditio, et illa potissimum quæ veterum curiosissima est. E Græcis, post Platonem[4] magistrum suum, nullum alium nisi Homerum[5] invocat; e Latinis, uno excepto Virgilio[6], nullos alios cognoscere videtur nisi veteres illos poetas quos tam acriter Horatius carpebat : in promptu habet et Ennium[7], et Lævium[8], et Lucilium[9], et Accium[10], et Afranium[11], et Cœcilium[12], et Plautum[13] : manifestum est eum multa antiquissimorum poetarum familiaritate summæ eruditionis laudem quæsivisse.

Quid jam ex his omnibus colligere possumus? Unum certe : Platonicum scilicet philosophum illum de grege sophistarum, aut declamatorum, aut rhetorum fuisse; philosophi nomen sibi arrogavisse, non dignitatem. Id autem argumentis aliis neque obscuris, neque paucis, demonstremus.

XII. — RHETOREM ESSE, AUT SOPHISTAM, APULEIUM, ET QUALIS RHETOR.

Perfectissimum rhetoris exemplar Apuleius affert, qualem ea tempestate et in Africa rhetorem esse oportebat. Nihil on rhetoris habet, deformi temporum illorum obsequio et Africana barbarie temperatum.

[1] *Fl.*, 16. — [2] *Apol.*, 465. — [3] *Id.*, 479. — [4] *Id.*, 407 et sqq., 450, 36 et sqq. — [5] *Id.*, 386, 465, 442. — [6] *Fl.*, III, XI, XVI; *Apol.*, 459. — *Apol.*, 484. — [8] *Id.*, 460. — [9] *Fl.*, XXI. — [10] *Id.*, X. — [11] *Apol.*, 415. — [12] *Id.*, 390. — [13] *Fl.*, II, XVIII.

Et primum incredibilem, effrenatam, impudentem jactantiam. Cedite, Protagora, Gorgia, Hippia; aliquis confidentior, imo impudentior vobis omnibus, natus est! Quanta superbia inflatus sibi ipse auditorum affluentiam gratulatur : « Si qui forte in hoc pulcherrimo cœtu ex illis invisoribus meis malignus sedet... si ex illis livedinis splendidissimo huic auditorio velut quædam macula sese immiscuit; velim, velim paulisper suos oculos per hunc incredibilem consessum circumferat : contemplatusque *frequentiam tantam quantam ante me in auditorio philosophi nunquam visitata est*, reputet cum animo suo, etc.[1] » Nos ipse docet, quodcumque protulerit, exceptum illico et lectum esse; plura sua esse in Camænis quam Hippiæ in opificiis opera; se « uno chartario calamo reficere poemata omne genus, apta virgæ, lyræ, socco, cothurno; item satiras ac gryphos; item historias varias rerum; nec non orationes laudatas disertis, nec non dialogos laudatos philosophis, atque hæc et alia ejusdem modi tam græca quam latina, gemino voto, pari studio, simili stilo[2]. » O circulatoriam loquacitatem! Tanquam aliquid memoria dignissimum, diligenter enarrat[3] « se in palæstra adeo vehementer talum invertisse ut minimum abfuerit quia articulum etiam a crure defregerit; » nec pauca sequuntur de febri et intestinorum dolore. Aliquot cives illi statuam poni curabunt : « Mox, ait, ad dedicationem statuæ meæ, libro etiam conscripto, plenius vobis gratias canam, itemque libro mandabo, uti per omnes provincias eat, totoque abhinc orbe, totoque abhinc tempore, laudes benefacti ubique gentium, semper annorum, repræsentet[4]. » Quam modesta spes est! Sed hoc modestius : operæ pretium est attendere[5] : « Musarum cratera, quanto crebrior, quantoque meracior, tanto propior ad animi sanitatem. Prima cratera litteratoris ruditatem eximit; secunda grammatici doctrina instruit; tertia rhetoris eloquentia armat. Hactenus a plerisque potatur. Ego et alias

[1] *Fl.*, IX. — [2] *Id.*, IX. — [3] *Id.*, XVI. — [4] *Id.*, XVI. — [5] *Id.*, XX.

crateras Athenis bibi : poeticæ commixtam, geometricæ limpidam, musicæ dulcem, dialecticæ austerulam, enimvero universæ philosophiæ, inexplebilem scilicet, nectaream. Canit enim Empedocles carmina, Plato dialogos, Socrates hymnos, Epicharmus modos, Xenophon historias, Xenocrates satiras : *Apuleius vester hæc omnia...* » Eo impudentiæ venit ut asserveret se ex tempore dicere tum quam maxime omnium meditata utitur oratione[1]; ut se Epimenidi, Orpheo, Pythagoræ, Empedocli, Socrati, Platoni « ceterisque rerum naturæ patronis[2] » associet; ut ridiculam hanc, quam agit, causam cum celeberrimis illis antiquis Carbonis, Norbani, Aquilii, Metelli tantum non conferre audeat[3]; ut denique cuilibet rei præconium suum immisceat, et omni materia, tanquam occasione, abutens, laudes ipse suas ad satietatem, plena voce, semper et ubique, canat[4].

Deinde (quod forsitan magis etiam quam jactantia rhetoricum est) maxima omnium illi curā est, imo unica, ut percellat animos, fulgeat, splendeat; si possit, recte; si non, quocumque modo. Omnis in hoc est. Interdum quidem simpliciter loquitur, et vera eloquentia : sic cur et quomodo Pudentilla iterum nubere voluerit, enarrat[5]; sic etiam quædam passim in Apologia, veram ejus, in nubendo, modestiam testari, necnon aliquot, in Floridis, narratiunculæ aliquid de Metamorphoseon leporibus reddere videntur. Non injucunde narrat poetœ Philemonis mortem[6], aut Asclepiadis medici peritiam[7], aut vulpis erga corvum dolos[8] : quamquam non paucas rhetorica maculas huc et illuc inspersit. Non minore cura Bathylli statuam[9] quam Byrrhenæ domum describit et volantis aquilæ[10] picturam exhibet quam vere luculentam dixerim et admiratione non indignam. Verum hæc atque talia, etsi longe a perfectione absint, quam rara deprehenduntur et inter quot affectata, ridicula, puerilia! Quid magis ridiculum quam hæc quæ

[1] *Fl.*, XXIII. — [2] *Apol.*, 453. — [3] *Id.*, 538. — [4] *Fl.*, passim. — [5] *Apol.*, 543. — [6] *Fl.*, XVI. — [7] *Id.*, XIX. — [8] *Id.*, XXIII. — [9] *Id.*, XV. — [10] *Id.*, II.

de capillo ipse suo profatur : « Capillus ipse... vides quam sit amœnus ac delicatus, horrore implexus atque impeditus, stuppeo tomento adsimilis, et inæqualiter hirtus, et globosus et congestus; prorsum inenodabilis diutina incuria, non modo comendi, sed saltem expediendi et discriminandi. » Neque satis profecto Apuleio esset, nisi facetissimum jocum hunc adderet : « Satis, ut puto, crinium crimen, quod illi quasi capitale intenderunt, refutatum est[1]. » Dentifricium suum defendit, arguens « impensius cetero corpore os colendum esse, quod est *animi vestibulum*, et *orationis janua*, et *cogitationum comitium*. Ego certe, pro uno captu dixerim nihil minus quam oris illuviem libero et liberali viro competere[2]. » De speculi possessione accusatus, fatetur quidem primo se possidere : non tamen ex eo accipi necesse esse exornari quoque ad speculum possessorem solere. Mox : « Cede nunc, etsi inspexisse me fateor, quod tandem crimen est imaginem suam nosse?... An tu ignoras nihil esse adspectabilius homini nato quam formam suam[3]? Nec pauca sequuntur ad confirmandum quanto ceteris imaginibus præstet imago speculo reddita. Pauperiem laudat[4] : bene esset, nisi philosophicum illud (dicam et sophisticum?) encomium in perridiculam peræ et baculi laudationem desineret : « Peram et baculum tu philosophis exprobrare? Igitur et equitibus phaleras, et peditibus clypeos, et signiferis vexilla, et denique triumphantibus quadrigas albas et togam palmatam... Hoc Diogeni et Antistheni pera et baculus, quod regibus diadema, quod imperatoribus paludamentum, quod pontificibus galerum, quod lituus auguribus[5]. » O luculentum dithyrambum! Accusator ejus Pudentillæ epistolam mala fide excerpsit, pauca legens, multa et meliora reticens : « Si verba, ait noster, ut poetæ aiunt, pinnis apta vulgo volarent... nonne tunc ceteræ litteræ sceleste se detineri pro-

[1] *Apol.*, 389. — [2] *Id.*, 394. — [3] *Id.*, 418. — [4] *Id.*, 432. — [5] *Id.*, 441, 442.

clamassent? Verba suppressa de Rufini manibus foras evolassent? *Totum forum tumultu complessent?* Se quoque a Pudentilla missas, sibi etiam quæ dicerent mandata? Improbo ac nefario homini per alienas litteras falsum facere tentanti ne auscultarent, sibi potius audirent, etc.[1] » Sequitur litterarum oratio. Nonne egregia prosopopœa? Quam ridicule alias[2] contendit « uxorem multo auspicatius in villa quam in oppido duci; in solo uberi quam in loco sterili; in agri cespite quam in fori silice! » Prætereo lepores et sales hoc genus : « *Decem annos* Mezentius cum Ulysse erravit[3]. » Mezentius est videlicet Æmilianus accusator et in eo erravit quod Pudentillæ decem annos gratuito largitus est. « O falsum, audax et nimium mendacium, *viginti annorum* exilio puniendum[4]! » Pulchrum sane commentum est; sed hoc pulchrius : « Nisi forte triginta annorum Pudentillam ratus, binos cujusque anni consules numerasti[5]. » Marsyas in pœnam *cecinit et cecidit*[6].—Ubi uber, ibi tuber[7]. — Scatent his leporibus Florida et Apologia. Hæc atque talia patulis auribus, præ admiratione inhiantes, accipiebant Africani; his statuas merebatur Apuleius.

Verum illa rhetoribus et sophistis qui in aliis temporibus floruerant, communia possunt haberi. Quæ sequuntur Apuleio, id est Romano horum temporum et Africano propria sunt. Fructus miremur Cæsarum sole, in Africa terra, maturatos.

Prima occurrit deformis adulatio : de qua forsitan, nec immerito, dixeris « antiquum et vetus est. » Quam multi enim, vel ante Cæsares, in hoc curriculo insignes ! Quotusquisque non laudator, aut non laudatus ?

Omnibus in terris quæ sunt a Gadibus usque
Ad Gangem,.....

quæ urbs non quotidie præconiis resonans? Quæ porticus, quæ columnæ non assiduo adulatore ruptæ? Ex quo præ-

[1] *Apol.*, 568. — [2] *Id.*, 575. — [3] *Id.*, 578. — [4] *Id.*, 578. — [5] *Id.*, 579. — [6] *Fl.*, III. — [7] *Id.*, XVIII.

sertim omnia cum libertate et moribus pessum ire cœperant in immensam quamdam et incredibilem latitudinem flumen adulationis creverat; eo magis homines laudabantur quo minus erant laudandi. Viceritne omnes hoc eloquentiæ genere Apuleius, affirmare dubitaverim; certe a nemine victus est; atque hoc vel ex uno Severiani proconsulis, filiique ejus Honorini, præconio, quamquam omnium quæ in Apuleio sunt modestissimo[1], satis pateret, nisi alia hoc genus multoque potiora, præsto essent.

Emilianus Strabo, consularis, in curia Carthaginiensium, statuam poni Apuleio poposcit, seque etiam de suo positurum pollicitus est. Tanti erga genus humanum seque ipsum meriti haud immemor Apuleius, tanto viro gratias aget, sic orsus[2] : « Quibusnam verbis tibi, Æmiliane Strabo, *vir omnium, qui unquam fuerunt, aut sunt, aut etiam erunt, inter optimos clarissime, et inter clarissimos optime, inter utrosque doctissime*, quibus tandem verbis, pro hoc tuo erga me animo...., qua digna ratione tam honorificam benignitatem tuam celebrem, *qua remuneratione dicendi gloriam tui facti æquiparem*, nondum hercle reperio. » Neque cetera tali exordio indigna sunt. Invidiosa ætas posteros præconio Scipionis Orfiti fraudavit[3]. Sed ne nimium doleremus, Lolliani Aviti proconsulis laudes admirationi nostræ reservavit. Quam delicatæ sint, admiremur : « Multos in vita mea Romani nominis disertos viros sedulo cognovi, sed sum æque neminem admiratus..... Quippe omnes fandi virtutes pæne diversæ in illo viro congruunt. Quamcumque orationem struxerit Avitus, ita illa erit undique sui perfecte absoluta, ut in illa neque Cato gravitatem requirat, neque Lælius lenitatem, neque Gracchus impetum, nec Cæsar calorem, nec Hortensius distributionem, nec Calvus argutias, nec parcimoniam Sallustius, nec opulentiam Cicero[4].... »

Quid jam misero rhetori reliquum, quod excogitaret, erat, si unquam illi verba, coram ipso Cæsare, facienda fuissent?

[1] *Fl.*, IX. — [2] *Id.*, XVI. — [3] *Id.*, XVII. — [4] *Apol.*, 589.

Cum hac adulationis deformitate, mire alia deformitas congruit : rusticitatis scilicet et contumeliarum in adversarios et sordium omne genus. Jam diximus in Apuleio omnia extrema esse vicina. Ut nihil in adulando humilius, ita nihil in contumeliis turpius. Jam illa de dentifricio et de oris illuvie[1] ridicule immunda; sed qualia illa quæ sequuntur : « Velim censor meus Æmilianus respondeat, unquamne ipse soleat pedes lavare? Vel, si id non negat, contendat majorem curam munditiarum pedibus quam dentibus impertiendam. Plane quidem si quis, ita ut tu, Æmiliane, nunquam ferme os suum, nisi maledictis et calumniis aperiat, censeo ne ulla cura os percolat... Quin, ei nocens lingua, mendaciorum et amaritudinum præministra, semper in fætutinis et olenticetis suis jaceat[2]. » Amabilis prorsus imago est! Sed pergamus. Accusatori suo Æmiliano violentissime exprobrat « teterrimum os (quod minimum a Thyesta tragico demutat) et sulcos rugarum et distortissimum vultum[3]) et teterrimam faciem et Charontis cognomen[4]; et ait « non sum jurgiosus[5]. » Alias « larvatum » eumdem appellat exclamatque : « Tibi, Æmiliane, duat Deus iste, superûm et inferûm commeator, utrorumque Deorum malam gratiam, semperque obvias species mortuorum, quidquid umbrarum est usquam, quidquid lemurum, quidquid manium, quidquid larvarum oculis tuis oggerat : omnia noctium occursacula, omnia bustorum formidamina, omnia sepulchrorum territamenta : a quibus tamen ævo et merito haud longe abes[6]. » Crassum quemdam, quem vocat summum helluonem, sordidissimis probris[7] onerat et Herennium Rufinum, Pontiani socerum, ita, ut ipse ait, « perpaucis demonstrat » ut his paginis demonstratio transcribi nequeat[8]. Gloriatur non semel Apuleius quod « utriusque linguæ sermones » doctus fuerit; utinam et aliquid de Attica urbanitate didicisset!

[1] *Apol.,* 391 et sqq. — [2] *Id.,* 394, 395. — [3] *Id.,* 426, 427. — [4] *Id.,* 444. — [5] *Id.,* 427. — [6] *Id.,* 535. — [7] *Id.,* 524-526. — [8] *Id.,* 550 et sqq.

Denique, si quid eum non modo rhetorem, sed Africanum, hoc est semibarbarum, rhetorem esse arguit, lingua maxime est, quam sibi fecit. Afer genere et nativo sermone Punico utens, ubi latina eloquentia excellere voluit, suæ ipse linguæ artifex esse debuit. Qualis autem artifex fuerit, ex opere patebit.

Multo majorem esse Floridorum quam Metamorphoseon farraginem diximus; totius vero Apuleianæ linguæ farrago etiam major quam Floridorum ipsorum dici potest.

In qua barbariem arguunt et multa quæ *solœcismis*, et multa quæ *barbarismis* simillima esse videntur. E prioribus eminent :

Totus pro omnis (*toti judices* [1]).

Castellum in quod denupserat, pro in quo [2].

Ubi ducis asinum? pro quo ducis [3]?

Persuadere quod [4], } pro infinitiva propositione. — Ut
Credere quod [5], } græce ὅτι.

Nec non plurima sublatarum præpositionum exempla, qualia : *Accedere præconem*, *accurrere cadaver*, *adhinnire voculas*, *afferri aures*, *adesse scopulum*, *assidere aliquem*, *accumbere cœnam*, *adambulare Deam*, *incidere aliquem etc.* Non omnino quidem sublata dici potest præpositio quæ verbo inest; num autem eamdem vim, verbo immixta, retinet, ac si separata, et per se, staret?

Alias præpositionis sensus corrumpitur : *Jacens in mortuum*, pro instar mortui.

Contra proclive montis, pro secus.

Alias præpositio redundat : *Vinum pretiosum in ætate.*

Aut prave inducitur : *Attonitus in conspectum meum* (Quum *ad* vocabulo *Attonitus* insit).

Ad hoc nonnulla vocabula, corrupto sensu, adhibentur : *Puncto*, pro temporis puncto.

[1] Tom. I, p. 746. — [2] *Id.*, p. 652. — [3] *Id.*, p. 668. — [4] *Id.*, p. 180. — [5] *Id.*, p. 198.

Ventilare, pro vulgare.

Gestamen, pro onus.

E posterioribus vero, hæc maxime conspicua videntur : famigerabilis, pro clarus; — famulatio, pro familia; — atrocitates; — pompaticus; — multiforabilis, pro multiforis; — elocutilis; — amicimen, pro amictus; — variegatus, pro variatus; — sobriefactus; — invinius; — gaudialis; — verbigerare, pro loqui; — turbulentare, pro turbare; — expergite, pro alacriter; — herilis, pro hera; — frugalitas, pro fruges; — vigoratus; — splendicare, pro splendere; — impossibilitas; — furatrina, pro furtum; — rupina, pro rupes; — indicina, pro indicium; — pretiositas, pro pretium; — naturabilis, pro naturalis; — cohibiliter et cohibilius, pro breviter et brevius; — inexplicabiliter; — buxans, pro buxeus; — punicans, pro puniceus; — avitium, pro aves; — impetibile; — irreposcibile; — dissimulamentum; — illectamentum, pro illecebræ; — effigiatus, ûs; — matronatus, ûs; — prominare et comminare; — cambire, etc...

Ea lex fuisse Apuleio in talibus verbis aut creandis aut accipiendis videtur, ut quam longissima vocabula haberet et quam plenissime eorum sono os impleret. Dicas eum quæ usitata sunt respuere, quia aut nimis brevia sunt, aut non satis sonant.

Quæ autem non jam semibarbarum, sed rhetorem arguunt, ea sunt :

Quidquid in quovis scriptore rarum videt aut insolitum, stuodiose colligit. Exempla sunt :

E Cicerone : formositas; — medietas; — respiratus, ûs; specula (diminutivum spei).

E Quintiliano : impossibile.

E Justino : reatus, ûs.

E Plinio : unctus, ûs; — volutatus, ûs; — candicare; — perpetim.

E Seneca : cogitatus, ûs.

E Porcio Latrone : coætaneus.

A medicis Celso et Scribonio, mutuatur hæc duo : fluor, oris ; — pator, oris.

A jurisconsultis : postliminio, quo sæpissime utitur pro rursus.

Ab architecto Vitruvio : machinatus, ûs.

A poeta Propertio : cantamen, inis.

Vocabula : cruciabilis, scævitas, vulgarius, — non mutuatum eum ab Aulo Gellio esse dicam, sed cum Aulo Gellio in his convenisse.

Verum a veteribus Latinis scriptoribus longe plura quam a ceteris mutuatur, et inter hos Plauti maxime apothecam compilat. Erat ea tempestate apud peritos solenne, ne viderentur nova vocabula fingere, cascam elegantiam affectare. In quo Apuleius nullo inferior est; quippe qui totus Plautinus esse dictus sit.

Plautina enim hæc omnia : arbitrari pro considerare; — cibatus, ûs pro cibus; — sessibula pro sedilia; — commodum; — indusiatus; — dapsilis; — pausa; — vadatus; — incertare; — summas, atis; — præstinare; — cordolium; — præsentarius; — filum (pro lineamenta oris); — tuburcinare; — scapulæ; — duplus; — præfiscine; — atticissare; — curare rebus; — primoris, is; — nimis quam (pro magnopere); — lurco; — interibi; — purpurissatus; — illex, icis; — offrenatus; — bucco; — uterum, i, pro uterus; — naucus; — favitor (pro fautor); — fringultio; — terui (pro trivi).

Ab aliis veniunt, Ennio, Pacuvio, Accio, Afranio, Lucilio, Terentio, Cæcilio, Lucretio : properiter; — evitare pro interficere; — longule pro longe; — quitus est; — solitas, atis; — ruspari; — manticulari; — gumia; — dispendium; — ninguis (pro nix).

A Catone : fugela; — mansues.

A Caio Graccho : postremissimus.

A Laberio : miseriter.

Ab Atellanarum scriptore Pomponio : diadema, æ.

A Q. Claudio Quadrigario : in equo vehens.

A Varrone : oppido quam.

Quid autem magis rhetoricum quam his artibus doctæ elegantiæ famam quærere? Num qua major affectatio est quam majorum obsoleta lingua loqui? Num in talibus laborant qui habent quod dicant? Imo, ii tantum qui verbis ludunt, ut funibus schænobatæ.

XIII. — QUOMODO MAGUS EVASERIT APULEIUS.

Rhetor ergo fuit Apuleius. Et quomodo non fuisset? Num qua tunc alia via patebat ad honores, divitias, famam? Antoninorum seculum rhetoribus fuit ætas aurea. Clarissimis modo exemplis utar.

Laodicencis Polemon totum Orientem fama sua implet : etsi Smyrnæ, in longinqua regione, degens, ab imperatoribus ornatus et honoratus vivit. Herodes Atticus, nobilissimo genere, immensis opibus, ad opulentiæ munificentiæque laudem artis rhetoricæ famam addere laborat. Illustribus magistris, illustrioribus utitur discipulis. Sunt illi auditores et Marcus Aurelius et Lucius Verus. Ad summum consulatûs honorem ita provehitur ut augustissimum magistratum potius decorare quam eo decorari, videatur. Ælius Aristides, Polemonis Herodisque discipulus, perfectis per totum Orientem, usque in Æthiopum remotissimas regiones, longis itineribus, rhetoricam artem Smyrnæ cum tanta laude exercet ut statuantur illi, forsitan et viventi, statuæ. Romæ denique, in media luce antiqui Fori, ante ora Cæsarum, auditoribus Marco Aurelio et Lucio Vero, Fronto declamabat eo usque famæ et opum provectus ut et consulatum gereret, et Mecenatianis hortis potiretur, et quod his omnibus potius erat, amicus Marci Aurelii audiret. Hæc erant, sub Antoninis, artis rhetoricæ præmia, hæ laudes.

Ingeniosior erat Apuleius quam ut facilem ad famam et honores viam non iniret.

Verum, dicet aliquis, nullos Apuleius honores adeptus est, qui vix municipales magistratus gessisse videtur. Ita sane; sed quod ad ingenii famam multo honoribus et ipsi consulatui præstat, *magus* habitus est.

Cur et quomodo Apuleius, dum ceteri rhetores pecunias et honores congererent, magiæ tantum famam artibus suis quæsiverit, facillime intelligemus, si modo attenderimus in qua regione, apud quos homines, et natus sit, et vixerit.

In Africa Apuleius et natus est, et vixit et obiit. Africa autem *portentosa* dicta est, non tantum quod ipsa, sed et ejus populorum ingenia portentorum feracissima semper fuerunt. Non ita brevi post Apuleium tempore gentem hanc vanis superstitionibus deditam perstare divus Augustinus testatur[1]. Apuleius vero ipse non jam modo superstitiones popularium suorum, sed quod ad propagandam magiæ famam non minus valet, stoliditatem incredibilem denuntiat.

Quid enim aliud ejus Apologia est, nisi vere portentosum Africanæ stoliditatis monumentum?

Inter alia crimina, accusatur Apuleius quod et *forma egregius* est, et *eloquio valet*, et *speculum possidet*, et *ad amicum dentifricium quoddam misit*, et *pauper fuit*.

Neque hæc satis. Magus est, *quia pisces semper emit;* quia *carminibus nonnullos pueros et feminam demum fascinavit; quia* ALIQUID SUDARIOLO INVOLUTUM SEDULO OCCULTAT; quia *sacrificia quædam nocturna* peregit, quorum vestigia inventa sunt, *volucrum plumæ et parietes fuligine deformati;* denique, quia *signiculum quoddam occulte fabricari curavit*, *quod adoraret*.

Hæc satis certe? Imo; magus est quia *juvenis uxorem natu majorem duxit*.

Hæc nexuerunt crimina callidi accusatores; ad hæc refutanda noster « de Platonica familia » omnes ingenii et eloquentiæ vires, coram proconsule, intendit! Puderet quidem talibus ineptiis longius immorari, quæ quodammodo Africa-

[1] *Epist. ad Nectarium*, II.

nam barbariem significant intra imperii terminos, multum ante Germanicam, sæviisse. Certe, ex iis, qui duo post secula imperium invaserunt, barbaris, non multos exstitisse puto qui Africanos illos superstitione, ignorantia et stoliditate æquarent; qui præstarent vero, ne Hunnos quidem.

Præcipuam nunc causam tenemus cur Apuleius magus habitus sit. Homo ingeniosus, viæ, ut ipse ait, cupidus et omnis novitatis sititor, toto Oriente peragrato, nulla non doctrina, philosophia, religione tanquam gustata, nullius mysterii ignarus, nullius scientiæ incuriosus, nulla in arte rudis, ad hoc facundus, jactantiæ immodicus, confidentissimus, inter stolidos istos Afros magus non haberi non potuit. Qui alias modo rhetoris laude inclaruisset, in Africa portentosa ad periculosos magiæ honores provectus est.

At res illi non ita bene cessit. Magus ergo habitus est invitus? — Profecto, etiamsi noluisset haberi, habitus esset, quum historiæ satis ostendant crimen hoc non ex illis esse quæ facile refellantur. Sed non ita manifestum est eum contra famam suam repugnavisse; imo libenter crediderim famæ suæ ipsum adjumento fuisse. Quid enim? Num de rogo habebatur? Periculum quidem mago erat ne in suspiciones popularium suorum aut etiam odium incurreret : sed et eum homines suspiciebant, venerabantur, timebant. Quis non reformidavisset hominem plus quam humana potentia armatum et divinorum conscium? Denique eum audiamus de magia verba facientem. Nonne videtur sedulo cavere ne magiæ fidem infirmet minuatve? Ait quidem semel Pudentillam non modo ipsum magum, sed omnino esse magiam negavisse[1]. Verum opinio hæc Pudentillæ est, non Apuleii. Quoties ipse, nomine suo, loquitur, longe aliter se res habet. Nunc pisces, auctoribus Pythagora et Homero, ad magiam prorsus inutiles esse affirmat[2], quum omnia magica medicamina e terra, e mari nulla, depromantur. Nunc cum Platone credit[3] « inter deos atque homines quasdam divo-

[1] *Apol.*, 569. — [2] *Id.*, 465. — [3] *Id.*, 498.

rum potestates intersitas, easque divinationes cunctas et *magorum miracula* gubernare. » Nonne hæc est magiæ tanquam summa lex et ratio? Sic denique crimen purgare videtur ut una et propriam et magiæ causam vincat. Neque aliud ejus rei argumentum afferre velim quam quod, Lactantio et divo Augustino, Africanis ambobus, testibus, obtinuit ut jam vidimus, et usque duravit Apuleii magi fama.

XIV. — CONCLUSIO.

Tenemus nunc quid de Apuleio, qualem Metamorphoses, Florida et Apologia ostendunt, censere debeamus.

Ingeniosus procul dubio homo natus est et omnis doctrinæ avidus. Longis per politissimas gentes itineribus multa didicit; Ulyssis instar :

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.

Quid autem in his urbibus et inter hos homines vidit? Omnia e malo in pejus labentia; stantes adhuc aliquot magnorum nominum umbras, religionis, eloquentiæ, philosophiæ, sed umbras tantum; reipsa nihil nisi turpissimas superstitiones, puerilem loquacitatem merasque nugas sub his nominibus latentes; barbatorum palliatorumque millia : philosophum quotumquemque? declamatores sexcentos : quem oratorem? Sacerdotum turbam, victimarum in omnibus aris acervos : quot vere pios, vere antiqua numina venerantes? Mores jamdudum perditos; homines ingenuæ ullius et liberalis artis ne memores quidem, nedum studiosos; omnes ludis, voluptati aut magicis nugis intentos; spem futuri nullam, quum ea, quæ in intimis imperii visceribus, jamjam eruptura, fervebat, vel doctissimorum acumen falleret; denique in hac insanabili omnium rerum putredine florentem rhetoricam. Ingenium humanum tanquam circulum quemdam implevisse videbatur : curriculum, Socraticis

temporibus, a sophistica arte inceptum, in sophisticam artem, Apuleii temporibus, desinebat.

Quid mirum si homo ingeniosus et doctus sese sophistarum numero aggregavit? Si aliter fecisset, miraremur.

Verum in natali Africæ solo, inter homines superstitionibus maxime deditos, immanissimæ barbariæ conterminos nec ab ea omnino intactos, artem suam exercere et solertiam explicare constituit. Inde factum est ut qui alias, Romæ aut Athenis, tantummodo non imperitus rhetor habitus fuisset, magus etiam a popularibus suis habitus fuerit.

Hujus autem longa nec injucunda fabula exstat, in qua magicæ artes et libidines longe maximum locum habent[1]; inter quas quædam nonnullis eruditissimis viris fidem facere philosophici propositi visa sunt, et Apuleium tanquam doctorem quemdam ostendere, antiquæ fidei propugnatorem, novæ autem, id est christianæ, oppugnatorem. Quod si paululum ab undecimo Metamorphoseon libro animum avertamus, longe aliter sentiemus. Apuleius minime cujusvis doctrinæ doctor haberi potest. Non antiquam fidem propugnavit, quam parum, imo minime, curavit; non oppugnavit novam, quam tantumnon ignoravisse videtur. Famam modo suam curavit et aluit, famæ suæ ante omnia (si non unice) studiosus, et ad hanc augendam, librum hunc Metamorphoseon conscripsit, in quo totam suam, ut ita dicam, apothecam exhausit. Duabus præcipuis apud populares suos cupiditatibus blandiens, magiæ scilicet studio et libidini, (quo se jam placiturum illis certum habebat) omnigenam insuper scientiam suam et solertiam (magicorum præcipue, divinorum et mysticorum scientiam, quam tantopere vulgus suspiciebat) opportunissimo in loco explicabat.

Ita in unum et idem conveniunt, ad unum eumdemque finem tendunt, Metamorphoses, Florida, Apologia : Apuleii scilicet famam. Non omnino certe contemnendum, Apuleio

[1] Ce roman consacré à la magie et au libertinage... (Saint-Marc Girardin, loc. cit.).

maxime, sed quod laboranti generi humano minus prodesse poterat [1].

Non tali auxilio nec defensoribus istis
Tempus eget....

Quum hæc aliquis legit, humanum ingenium, in infima et tenebrosa immersum, omnino caligare intelligit, et exclamat : Exoriare aliquis!

[1] Apulée est un veritable littérateur des temps de décadence. Il étudie toutes les sciences et tous les arts, interroge toutes les religions et toutes les philosophies, y croit un peu, s'en joue un peu, essaye même de la magie.... Avant tout, littérateur, et comme les littérateurs des temps fort civilisés, se piquant de tout comprendre et de tout expliquer....

La magie est la superstition des siècles qui n'ont plus de foi; elle flatte du même coup l'orgueil et la crédulité humaine.... Apulée raconte aussi des scènes de débauche, et c'est encore là une marque du temps. Le plaisir est la dernière passion des vieilles sociétés. Comme le doute y gâte toutes les jouissances de l'âme, il n'y a plus que le corps qui soit sûr et avide des siennes. (Saint-Marc Girardin, loc. cit.)

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. XI kal. mart. ann. M DCCC LIX,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

J.-Vict. LE CLERC.

Typis mandetur :

Parisiensis Academiæ Rector,

ARTAUD.

INDEX